

LIBER I

ELEGIAM ALLOQUITUR

C1_01 v.1 Huc ades et nitidum myrto compesce capillum,
 2 huc ades ornatis, o Elegia, comis,
 3 inque novam venias cultu praedivite formam,
 4 laxa fluat niveos vestis ad usque pedes.
 5 Molle micet tenues inter dilapsa papillas
 6 quae legitur Rubro lucida gemma mari,
 7 perque humeros levi demissa monilia collo
 8 addeceant ; aurum serica vestis amat.
 9 Aurea subductum constringat fibula pectus,
 10 aureaque in limbo fila rigente micent.
 11 Quaque moves, Arabum spires mollissima nardum,
 12 lenis et Assyrio sudet odore liquor.
 13 Tecum etiam Charites veniant, tua cura, puellae,
 14 et juvet insolita ducere ab arte choros ;
 15 tu puerum Veneris primis lasciva sub annis
 16 instruis et studio perficis usque tuo,
 17 et quotiens lasso ducit reses otia nervo,
 18 huc placido refoves, candida nympa, sinu.
 19 Hinc tibi perpetuae tribuit Cytherea juventae
 20 tempora, neu formae sint mala damna tuae,
 21 hinc juvenum curis et dulci conscia furto
 22 blanditiisque capis pectora cuncta tuis.
 23 Ergo ades et cape, diva, lyram, sed pectine molli,
 24 sed moveas dulci lenia fila sono ;
 25 nam tibi Mercurius pater est, tibi sedula mater
 26 Eurymie cantus nosse lyramque dedit.
 27 Quin etiam tu, experta novos (ni fallor) amores,
 28 dulcia supposito gramine furta probas :
 29 namque ferunt patrios vectam quandoque per Umbros
 30 Clitumni liquidis accubuisse vadis,
 31 hic juvenem vidisse, atque incaluisse natantem,
 32 et cupiisse ulnas inter habere tuas :
 33 "Quid tibi lascivis, puer o formose, sub undis ?
 34 Deliciis mage sunt commoda prata tuis ;
 35 hic potes e molli viola junxisse coronam,
 36 et flavam vario flore ligare comam,
 37 hic potes et gelida somnum quaesisse sub umbra,
 38 et lassum viridi ponere corpus humo,
 39 hic et adesse choris Dryadum, et saliisse per herbas,
 40 molliaque ad teneros membra movere modos."
 41 His juveni succensus amor, formamque secutus

42 et facilem cantum, quo capis ipsa deos,
 43 tecum inter salices, sub amicta vitibus ulmo,
 44 in molli junxit candida membra toro,
 45 inter et amplexus lassi jacuistis uterque,
 46 et repetita venus dulce peregit opus.
 47 Quo mage pauca meo, nymphe, concedis amori,
 48 quosque legat versus nostra puella cane.
 49 Haec ego ; cum subito visi ridere penates,
 50 et nova fulgenti lumina adesse domo :
 51 astitit, et risu facilem confessa, deditque
 52 adveniens animi nuntia signa sui,
 53 deque sinu fluxere rosae mollesque hyacinthi
 54 et violae et rubro lilia mixta croco ;
 55 tum cecinit plectroque fidem percussit eburno,
 56 et liquidam socio temperat ore chelyn :
 57 "Desine divitias versu conferre beato,
 58 et faciem pretio vendere velle tuam ;
 59 non ego laudarim, cupias si, vate relicto,
 60 divitis argentum, culta puella, sequi.
 61 Forma bonum caeleste, auro quam vendere non est ;
 62 nam miser e terra fodit avarus opes.
 63 Et canos, formosa, time celeremque senectam,
 64 ante diem cupidis quam deus esse jubet.
 65 Aurum crimen habet, aurum prae carmine dolci
 66 sordeat ; ingenii fide, puella, bonis.
 67 Odi etiam fastus ; quid enim fastidia prosunt ?
 68 Hinc odii veniunt semina mille procis.
 69 Dum temnit Glaucum formae confisa superbae,
 70 dum latet et surda rejicit aure deum,
 71 Cermenis obriguit, saxoque in membra recepto,
 72 perpetitur tumidi verbera saeva maris ;
 73 nunc quoque signa manent patriis malefida carinis,
 74 quae procul abducto vela rudente ferunt.
 75 Neu studium tibi sit peregrinos quaerere cultus :
 76 contenta est facies simplicitate sua.
 77 Sint compti crines, nitido sit vestis amictu :
 78 munditiis capitur deliciosus amor.
 79 Pauca loqui studeas ; verum tibi pauca loquenti
 80 sit pudor et, niveo qui decet ore, rubor ;
 81 libertas oculis neu sit : fac tempora serves,
 82 quis capitur, captus quis retinetur amans.
 83 Sitque uni placuisse satis : crudelius ures.
 84 Artibus ingenuis forma juvanda bona est.
 85 Forte aderam, cum laeta Venus Dodonide silva
 86 sedula non solita poneret arte comam ;
 87 dum fingit crines, speculum dum consulit, illi
 88 ludebant similes ante pedes volucres,
 89 et modo plaudebant pennis, modo dulcia miscent
 90 oscula, cumque suo murmura grata sono.
 91 Laudavit dea mitis aves ab amore fideque :
 92 exemplum certi, dixit, amoris erunt.
 93 Sed neque te capiat juvenis, cui picta capillum
 94 sit coma, cui nimia quaeritur arte decor :
 95 Hic vanas captatque auras, mutabilis huic est
 96 mens, et in incerto qui levis errat amor.
 97 At vates, cui numen adest, cui Delphica serpit

98 laurus et arguto carmen in ore sonat,
 99 ille tibi conjuxne velis ? Non esse recuset ;
 100 anne comes ? Lateri sit comes usque tuo.
 101 Dumque tibi placuisse velit, non horrida vitet
 102 proelia, non Scythici litora adire maris ;
 103 non illum gelidi remorentur signa Bootae,
 104 non usta assiduo sole Libystis humus ;
 105 conjugiique fidem seros perducet ad annos,
 106 tecum amet, et socio vivet amore senex.
 107 Et tibi sint faciles anni, nec amara senectus,
 108 obsequio dulcis functa puella viri.
 109 Anne juvet residem frustra duxisse juvenum
 110 expertem grati credula conjugii ?
 111 Quin potius laudanda fores, si conjuge caro,
 112 si Veneris placidis ipsa fruare bonis.
 113 Ut sine aqua fluvius utque est sine frondibus arbor,
 114 ut sine sole dies, nox sine luminibus,
 115 sic turpis sine amore pari, sine conjuge lectus :
 116 deliciis ille est illecebrisque locus.
 117 Ipsa meum teneris noctu complexa lacertis
 118 Clitumnum cupido demoror usque sinu.
 119 Nocte etiam viduo solam cessare cubili
 120 ipsa vetat, noctis quae dea finit iter ;
 121 nec Veneri lux grata adeo, quam gaudia noctis.
 122 Tunc deas dubites, scita puella, sequi ? "
 123 Haec, et virginea tetigit mea tempora lauru ;
 124 laurea nam dextrae sceptrae Elegia gerit ;
 125 tum liquidis dilapsa Notis, quaque ipsa recedit,
 126 linquit odoratae mollia signa comae.
 127 Dum spirant ignes, capiunt dum incendia vires,
 128 et dea tam facilem spondet in arte chelyn,
 129 tu quoque, blande puer, in me nova vulnera tenta ;
 130 deprecor imperii non ego jura tui :
 131 ure acer, fige indomitus, neu parce pharetris,
 132 neu tepeant modica pectora nostra face.
 133 Tum mihi mollis eat versus, tum laeta sonabunt
 134 carmina, tum dulcis profluet ore sonus.
 135 Tu quoque materiam saevoque alimenta furori
 136 da, curis requies una Ariadna meis,
 137 neve oculis inimica veni, neu dura precanti,
 138 per spem conjugii vincloque nostra rogo :
 139 vel miseranda tibi est arsuri flamma mariti,
 140 o socii consors cara futura tori.
 141 Haec precor, haec utinam nitidis argenteus alis
 142 annuat et digiti pignore firmet Hymen.

CARMEN NUPTIALE. TYBICINEM ALLOQUITUR

C1_02 v.1 Hos numeros, tibicen, ama atque hos incipe cantus,
 2 et placidos festa concine luce modos.
 3 Primus Hymen trucibus mollivit corda puellis
 4 atque animos facili contudit arte feros,
 5 primus inexpertos vinclo sociavit amores,
 6 legitimo statuens debita jura toro,

7 et primus gratae decerpto flore juventae
 8 primitias Veneris et sua dona tulit.
 9 Hos numeros, tibicen, ama atque hos incipe cantus,
 10 et placidos festa concine luce modos.
 11 Hic docuit lentis innectere colla lacertis
 12 atque renudato jungere membra sinu,
 13 hic rixas pacemque simul, nunc ore recluso,
 14 et nunc consertis oscula ferre labris,
 15 hic lingua titubante loqui, dum spiritus udo
 16 gutture, dum querulo ducitur ore sonus.
 17 Hos numeros, tibicen, ama atque hos incipe cantus,
 18 dum texunt virides laurea sarta fores.
 19 Hoc primum virgo didicit bene culta magistro
 20 et femur et lateri conseruisse latus,
 21 atque inter questusque leves et murmura nota
 22 nunc has, nunc alias arte novare vices,
 23 dum gratus resilit membris tepor, imaque venis
 24 it venus, et fesso corpore languet amor.
 25 Hos numeros, tibicen, ama atque hos incipe cantus,
 26 dum texunt virides laurea sarta fores.
 27 Quis fulgor ? Deus, ecce deus. Nunc ore favete,
 28 desine et impariles, tibia, ferre modos :
 29 sanctus adest coetusque suos invisere gaudet,
 30 castaque conjugio nectere vincla parat,
 31 atque haec ut placitis firmet connubia votis,
 32 talia divino sancit ab ore deus :
 33 "Has ego felici jungo nunc omine dextras ;
 34 dic, juvenis, dic tu, bella puella : "Placet".
 35 "En placet" : ore tuos, juvenis, nunc excipe amores,
 36 oscula neu, virgo, prima dedisse neges.
 37 Convenit : dedit hic, accepit et illa. Pudicum
 38 hoc est. Quid vultus, scita puella, rubes ?
 39 Atque oculis animum fas est atque ore fateri,
 40 gaudia neu tacito, virgo, reconde sinu.
 41 Caetera nox et nos et Amor lectusque docebunt ;
 42 haec tu nunc fidei pignora certa cape.
 43 Quam bene, quod digitis aurum perlucet in istis ;
 44 anulus hic vobis, quod scit uterque, dabit.
 45 Ite pares, paribusque animis in vota juventae,
 46 et sua concordi reddite jura toro,
 47 jungat Amor, quos junxit Hymen taedaeque jugales :
 48 quae juvenes, teneat haec quoque cura senes."

CARMEN NUPTIALE. HESPERUM ALLOQUITUR

C1_03 v.1 Exorere optatumque viro optatumque puellae,
 2 et gratum thalamis, Hespere, tolle jubar ;
 3 tuque tuos, Erycina, toros visura, canoras
 4 junge et aves rutilas praefer et ipsa faces,
 5 qualis adesse soles sanctis celebrata hymenaeis,
 6 cum timet a cupido nupta novella viro,
 7 quos, dea, concilias rixamque in gaudia vertis
 8 et tenerum florem carpere amica doces.
 9 Tecum Amor, et casto gaudens Concordia lecto,

10 cumque sua veniat Gratia juncta Fide ;
 11 sancte Geni, nardoque comam perfuse madenti,
 12 felicique assis, hora benigna, pede.
 13 Hesper adest, video ecce faces, "Hymenaeaeque" clamat
 14 vulgus, et omnis : "Io," turba, "Hymenaeae," vocat.
 15 Ipse deus spargitque rosas spargitque hyacinthos,
 16 ac sua nimirum munera laetus obit,
 17 ipse et adest agitatque faces. "Hymenaeae," vocate,
 18 dicite : "Io," ter, "io, o Hymenaeae, io."
 19 Quicquid odoris habent Arabes unctique Sabaei
 20 secum habet, atque suo spirat ab ore deus,
 21 deque coma sertisque fluunt quoscumque liquores
 22 Assyrio veniens devehit orbe ratis ;
 23 ipse choros mixtus pueris mixtusque puellis
 24 ducit, et ad numerum crura manusque movet.
 25 Vos celebrem cantate deum atque "Hymenaeae" vocate,
 26 dicite : "Io," ter "io, o Hymenaeae, io."
 27 Nympha venit ; praeit ipse deus, praeceuntque sorores
 28 Idaliae, atque novem Thespia turba deae,
 29 scilicet assuetasque domos assuetaque visunt
 30 limina, et est vatis sedula cura sui.
 31 Cernite, ut apposito moveant vestigia gressu,
 32 et plaudat felix agmen, ovante lyra.
 33 Dum choreas, dum plectra movent evantia divae,
 34 dicite : "Io," ter "io, o Hymenaeae, io."
 35 Jam venit, cohibete modos ; jam, tibia, siste ;
 36 haesitat ad primas jam nova nupta fores,
 37 atque hanc cunctantemque gradus atque ora rubentem
 38 admonet his Erato, dulciaque ora movet :
 39 "Nec dubita, sustolle pedem, felixque marito
 40 et felix natis, o mea, limen adi.
 41 Fortunata domus tibi erit sanctique penates,
 42 candidus imprimis et sine lite torus,
 43 isque etiam conjux, cui prae te et munera Croesi
 44 et dives rutilis sordeat Hermus aquis."
 45 His Erato. Subit ornatis Elegia capillis,
 46 candida, Punicea conspicienda toga :
 47 "Ne lacrimis, ne foeda oculos, formosa, nitentes ;
 48 ad pacem, ad lusus, cara puella, venis,
 49 deliciasque tori molles dulcemque quietem.
 50 Quid tua singultu pectora rupta sonant ?
 51 Aspice, ut haerentes in te defixit ocellos,
 52 ut miser e lacrimis liquitur ipse tuis.
 53 Nil juvenis miserere ; vetat te flere Hymenaeus
 54 et nox deliciis prima futura tuis.
 55 Ergo, age, neu viri amplexus, neu gaudia differ
 56 longius, et caros, aurea, vise lares.
 57 En bene habet : placidos intrasti, dia, penates,
 58 dexteraque est cupido tam bene juncta viro.
 59 Ite simul, capite amplexus et colla ligate,
 60 ut natos videant pignora cara suos ;
 61 jungantur suaque ora simul, resolutaque venis
 62 molliter irroret languida membra venus.
 63 Complexi, quales hederæ sua brachia nectunt
 64 Chaonis et qualis oscula jungit avis,
 65 neu dulcem cohibete animam : pax rixaque murmur

66 alternent, neu dens linguave ponat opus.
 67 Claudite jam postes, jam lectus cepit amantes :
 68 mutua quid testes gaudia differimus ?
 69 Solus ades, genialis Hymen ; te murmura testem,
 70 te lacrimas, risus, proelia nosse decet :
 71 nos alio. Capite optatam post bella quietem,
 72 dum rediens abigat somnia grata dies."

UXOREM ALLOQUITUR

Cl_04 v.1 Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
 2 visa est erepta virginitate queri,
 3 cum lacrimis suffusa genas, impexa capillum
 4 non oculos coram est ausa levare suos ;
 5 talis mane mihi somno digressa mariti
 6 et queri, et lacrimis ora, Ariadna, mades.
 7 Scilicet et pudor est hujus tibi causa doloris,
 8 utque putas merito, te tua damna movent.
 9 Sed tamen est Veneri quod debes, nec tibi soli
 10 nata, sed et socii sunt tibi vincla tori,
 11 in partemque viri cessit pudor ; utitur ille
 12 hac sibi permissi conditione tori.
 13 Non est quod doleas : mutata pudore voluptas
 14 in partem cessit, cara puella, tuam.
 15 Utere sorte tua, neu te tibi subtrahe flendo,
 16 gaudia neu tristi perdere mente velis.
 17 Quid resides annos juvet exegisse ? Juventae
 18 munera cur nullo colligis ipsa sinu ?
 19 Et fructum flos iste dabit. Tu gaudia carpe
 20 quae conjux, quae te carpere jussit Amor.
 21 Hic pudor atque venus thalamo junguntur in uno,
 22 haec sunt legitimi vincula honosque tori ;
 23 et venerem salvo potes exercere pudore,
 24 et pudor agrestem praeteriisse notam.
 25 Quae, nisi rusticitas, lusus fugisse jugales ?
 26 Quaerit Hymen lusus, gaudia lectus amat.
 27 Rusticitas inimica toris, male grata maritis ;
 28 comparat haec lites ; pacis amicus Amor ;
 29 blanditiae thalamo gaudent, thalamis Hymenaeus.
 30 Tu fac blanditiis usa ferare novis.
 31 Andromache armati fertur petiisse mariti
 32 oscula, et est blando molliter usa viro ;
 33 illum Bistonii redeuntem e munere Martis
 34 excipit in mollis uxor amata sinus,
 35 oraque ab ore fovet multoque madentia siccant
 36 pulvere, et amplexus datque capitque novos.
 37 Festa deum genitor summo celebrabat Olympo ;
 38 conveniunt omnes dique deaeque simul.
 39 Inter caelicolas forma praestabat Apollo,
 40 vincebat cunctas Lux in honore deas.
 41 In lucem conversi omnes juvenesque senesque,
 42 e facie Phoebi quaeque puella perit ;
 43 illum exoptabant jungi sibi, at ipse dolebat
 44 in facie fixus, lucida nympha, tua.

45 Lux quoque non notos paulatim concipit ignes,
 46 in vultu inque oculis signa dolentis habet ;
 47 nec sine luce sua choreas agitabat Apollo,
 48 nec movet ad numeros hoc sine nympa pedes.
 49 Crescit amor, quantoque magis jam crescit, amoris
 50 vis patet et tanto proditur ipse magis ;
 51 nam sibi dum cupidisque oculis nutuque loquuntur,
 52 et male furtivas dant capiuntque manus,
 53 illa rubet, stupet hic, numerosque oblitus uterque est,
 54 atque imperfecto verba tenore cadunt.
 55 Cognita res, facilesque Jovis pervenit ad aures :
 56 "An mea non illos jungere cura potest ?
 57 Et Phoebo digna est, inquit, Lux conjuge conjux,
 58 digna Jovisque domo, digna tonante nurus ;
 59 et Luci conjux, conjux si debitus ullus,
 60 non alius Phoebo dignior esse potest."
 61 Dixerat et dextra Phoebum Lucemque sinistra
 62 jam tenet, et jussus carmina pangit Hymen.
 63 Jam Phoebus sponsae, sponso Lux oscula praebet,
 64 optatoque parant jungere membra toro.
 65 Tum Phoebus : "Mea Lux, Lux o carissima, dixit,
 66 quae tibi prima velis munera, posce, dabo."
 67 Illa viri injectis collo suspensa lacertis :
 68 "Haec tua te, conjux, munera prima peto,
 69 ut tibi nec sine me, mihi tecum scandere detur
 70 auratos currus luciferasque rotas,
 71 ut tecum optatoque sinu cupidisque lacertis
 72 amplexuque tuo conspicienda ferar.
 73 Me sine nulla dies, nulla et sine Luce voluptas,
 74 nulla venus sine me sit tibi, nullus amor."
 75 Annuit his Phoebus. Phoebui Lux candida curru
 76 fertur in amplexu conspicienda viri,
 77 laudaturque sinu conjux perlata mariti,
 78 et merito felix conditione sua est.
 79 Tune deas Lucemque sequi, formosa, recuses ?
 80 Exemplum nec te, dura, movere potest ?
 81 Et brevis est aetas, brevis est et forma puellis ;
 82 illa volat, parvo haec tempore nulla manet.
 83 Heu, quae nos fortuna manet ? Miseranda senectus,
 84 et morbi comites, quaeque dolenda ferunt.
 85 Frustra praeteritos olim revocaveris annos ;
 86 carpe diem, et Genii munera redde toro.
 87 Hoc tua te vel forma monet, vel conjugis ardor,
 88 hoc lex conjugii vinclaque amoris habent.

UXOREM ALLOQUITUR DE MILITIA CONQUERENS

C1_05 v.1 Non ego divitias, conjux, aurumque secutus
 2 ad tua constiteram limina amata procus,
 3 sed mores, sed pura fides, sed gratia traxit,
 4 et formae quod erat candida fama tuae ;
 5 his ego permotus connubia grata petebam,
 6 et tali felix conjuge visus eram :
 7 favit Amor tenerique parens insignis Amoris,

8 et sua conjugio vincla paravit Hymen.
 9 O mihi felices noctes lucemque beatam,
 10 o mihi blanditiis gaudia plena suis.
 11 Ergo ego vota bonis laribus Genioque ferebam,
 12 placabam et multa numina sancta prece :
 13 invidit bellorum auctor, qui, pace repulsa,
 14 concutit Aemiliae sanguinolentus agros.
 15 Saeve pater, tua tela, precor, tuaque arma reconde,
 16 in Veneris niveos, fesse, recurre sinus :
 17 illa tibi ignotasque vices ignotaque servat
 18 gaudia ; delicias, lente, morare tuas ?
 19 Mars, propera, sic poscit amans ; sed terge cruorem,
 20 et tua seposita corpora veste tege ;
 21 illa quidem tibi tota vacat, dum conjugis artes
 22 Lemnos habet, dum vir fulmina nigra quatit.
 23 Quid cessas, violente, tuosque moraris amores ?
 24 Me miserum, falso nomen amantis habes.
 25 Te belli, te caedis amor, non mollia tangunt
 26 oscula, non gratae dulcia ad arma vices.
 27 Immemor amplexus et murmura blanda relinquis,
 28 immemor ? O mira rusticitate deum.
 29 Non tibi post juvenilem operam mixtasque querelas
 30 succurrit lenis lassae per ossa sopor,
 31 non facilis post bella quies ? Frustraque capillum
 32 nunc colit, et roseo splendet ab ore Venus ?
 33 Heu heu, crudeles coeunt ad signa manipuli,
 34 heu heu, non segnes miles obarmat equos,
 35 militiam sequitur vates, fert tela maritus :
 36 o grave conjugium Pieridesque malas.
 37 Ocia Pieridum fuerant requiesque maritis :
 38 non mihi conjugium, non mihi Musa valet.
 39 Sed neque me vel tela movent vel letifer hostis,
 40 aut juga perpetua continuata nive ;
 41 tu, conjux, tu sola moves, tu causa dolorum,
 42 qua sine nec videor vivere posse mihi.
 43 Lux gravis, at graviora manent me somnia noctis,
 44 somnia imaginibus nigra futura suis.

AD UXOREM

C1_06 v.1 Parce meum, conjux, absens temerare cubile,
 2 castaque legitimi fallere jura tori,
 3 neu alii compone, leves imitata puellas,
 4 neu mihi sint fidei pignora vana tuae.
 5 Qui primus lateri ferrum crudele revinxit
 6 movit et audaci ferrea bella manu,
 7 illi sint tristes dirae, cineremque revellat,
 8 janitor, et rabida deterat ossa fame.
 9 Ille mihi caros juveni detraxit amores
 10 durus, et a domina jussit abesse mea.
 11 Ferrum hosti, cupido noceat cur ensis amanti ?
 12 Tela absint ; felix me mea taeda juvet.
 13 Tu tamen interea cari memor usque mariti
 14 pro reditu, conjux, plurima vota dabis ;

15 assistatque tibi soror et sanctissima mater,
 16 absentis curas quae levet usque viri.
 17 Et tela noctes, et acu traducere lucem,
 18 exemplum fidei Penelopea docet :
 19 illam non longi mutarunt tempora cursus,
 20 non simili ad Trojam proelia gesta mora.
 21 Casta mane, neu te lusus, neu munera vincant ;
 22 conjugii dotes vita pudica facit.
 23 Sive domi tristes fuso solabere curas,
 24 sive foris festae tempora lucis agent,
 25 conjugis occurrant animo tibi mille labores :
 26 me caeli pluvias, sidera iniqua pati,
 27 forsitan et lateri saevum quis dirigat ense,
 28 et quae praeterea mille timenda, time.
 29 Dum vir abest, neglecta sinus, incompta capillum
 30 maesta sedet vidua Laodamia domo ;
 31 saepe illam Haemoniae blandis adiere puellae
 32 alloquiis : "Cultus indue, dia, tuos,
 33 neglectas dispone comas ; quid lucida fronti
 34 gemma, quid a digitis anulus omnis abest ?
 35 Non cultus capit illa suos, non lucida fronti
 36 gemma micat, digitis anulus omnis abest.
 37 Quid non Evadne Thebas urgente marito,
 38 impia cum fratres traxit ad arma furor,
 39 ah quam difficiles egit noctisque diesque,
 40 ah quam omnis miserae pectore sensus abit.
 41 Non choreae cantusque juvant, non porticus illam
 42 publica, non templis vota sacerve dies.
 43 "Evadne, quid sola domi, quid pensa columque
 44 usque trahis, lacrimis humidaque ora rigas ? "
 45 "Me miseram, cui laeter abest, cui dextera cesset,
 46 cui colar et formae debita cura meae est."
 47 Ergo inter famulas lanaeque addicta trahendae,
 48 squalida neglecto delitet in thalamo.
 49 Utraque laudata est, exemplumque utraque fidae
 50 conjugis et casti certa fides thalami.
 51 Sed neque sic te exempla movent, ut non magis ipsa
 52 conjugis officio sponte fruare bono,
 53 quodque decet castas, sola virtute magistra
 54 exsequere, et per te quid decet ipsa sapis,
 55 in partemque venis nostrorum sponte laborum,
 56 remque domi et natos qua licet arte juvas.
 57 Forsitan et nobis quae sit mens ipsa requiris,
 58 neve tui mihi sit mutua cura times.
 59 Non ita nos facili junxit concordia nexu,
 60 ut sine te conjux ulla sit hora mihi,
 61 nec sic nostra levi firmata est pignore dextra,
 62 non sit ut in nostro pectore prima fides.
 63 Ut praesens mihi sola quies, sic pectoris absens
 64 una tenes curas, tu regis una virum.
 65 Sed dabitur, cum laeta feret pax otia nobis,
 66 reddere tam caro munera conjugio :
 67 tum liceat thalamoque frui socioque cubili,
 68 mutuaeque in tacito gaudia ferre sinu,
 69 tum nova suscipient vires incendia rursus,
 70 rursus et injicies vincula, castus Hymen.

71 Interea memor ipsa tori sanctique pudoris,
 72 spe modo venturi tempora falle viri ;
 73 nec spes destituet, namque ultima ducitur aestas,
 74 candida cum celeri sub pede musta fluunt,
 75 frigidus Illyricis Aquilo dimissus ab oris
 76 admonet hibernas haud procul esse nives,
 77 defunctusque dari sibi postulat otia miles,
 78 et parat ad patrios arma referre lares.
 79 Ipse mihi videor jam primae ad limina portae
 80 jam thalami cupidas victor adesse fores,
 81 teque meos inter collapsam vita lacertos,
 82 de desiderio languida facta mei.
 83 Atque ubi mens rediit, longo sermone referre
 84 quantum difficile est conjuge abesse suo,
 85 implicitamque humeris atque oscula grata ferentem
 86 vix rediisse tibi credere posse virum ;
 87 quod tu, sancte, toros celebras qui Hymenaeae maritos,
 88 annue, et his precibus, candide dive, veni.

ANIMUM SUUM ALLOQUITUR

C1_07 v.1 Heus ibis, sine me tamen ibis, quo duce, quaeso,
 2 o anime ? Anne Amor est, qui tibi monstrat iter ?
 3 Scilicet ille viae tibi duxque comesque futurus ;
 4 et dominae tecum commodus hospes erit.
 5 I felix, felixque redi, felicior hospes.
 6 O utinam qui te, nos quoque ferret Amor.
 7 Me miserum, quanti montes et flumina quanta
 8 amplexus prohibent, cara Ariadna, tuos.
 9 Quid tecum, Arne, mihi ? Quid cum Rhenoque Padoque ?
 10 Aut quid cum telis, Mars violente, tuis ?
 11 O pereant ensesque feri galeaeque minaces ;
 12 Pax, ades, et vincto proelia Marte vacent.
 13 Pace coronati ludunt ad pocula amantes,
 14 inter et insanos vina ministrat Amor,
 15 atque aliquis memor absentis conviva puellae
 16 cantat, dumque canit ebria turba favet,
 17 sollicitaque choros planta implicat, adsonat udis
 18 tibia, et aurato pectine pulsa chelys.
 19 Pace Ceres Bacchusque vigent : tum vinitor uvas,
 20 tum messor spicas grataque poma legunt ;
 21 assidet his conjux, posito quae sedula fuso
 22 optatasque dapes vinaque inempta ferat,
 23 et nunc veloci messem diventilat aura,
 24 impleat ut spoliis horrea triticeis,
 25 et nunc calcatis spumantia prela racemis
 26 diluit ac multo decoquit igne merum,
 27 nunc legit arbuteos fetus et olentia poma,
 28 quae ferat in calatho filia parva domum,
 29 et nunc selectis matura Cydonia ramis
 30 decutit, et filo deligat inde brevi.
 31 Festa dies redit ornata cum conjuge conjux
 32 prodit, et agresti dat sua vota deo,
 33 primitias, mollemque haedum cum pinguibus agnis,

34 quaeque tegant sacras plurimaserta fores ;
 35 inde domum laeto comitatur fistula cantu,
 36 splendet ubi apposita mensa benigna mero ;
 37 ipsa viro conjux, uxorique ipse ministrat,
 38 et plaudit dominis sedula turba suis ;
 39 vina diem celebrant, vino somnusque venusque
 40 it comes et veneri gaudia nota suae.
 41 O qui me Boreas, o qui divusve deusve
 42 in gremio sistat, pulchra Ariadna, tuo.
 43 Bacche, veni memor ipse tuae, sed contine ab ista,
 44 meque feras curru, Bacche benigne, levi ;
 45 ipse tuas referam laudes : tu gaudia maestis,
 46 tu requies fesso es, te sine dulce nihil ;
 47 ipse seram vites, ulmo quas rite maritem,
 48 ipse traham lenta sarcula dura manu,
 49 ac circa levibus vinclis intenta puella
 50 subliget intortis brachia viminibus,
 51 non tamen ut falcemve manu rastrosve lacertis
 52 incutiat ; fortis sit labor iste viri :
 53 tunc juvet inter opus raptimque interque laborem
 54 oscula de roseis grata tulisse labris,
 55 tum sparsos libet ad frontem componere crines,
 56 turbatasque manu restituuisse comas.
 57 Felices Arabum gentes, quibus uxor in armis
 58 astat et audaci strenua fertur equo :
 59 illa sudet hastamque viro jaculumque ministrat,
 60 adjuvat, et nulli non favet ipsa loco,
 61 communisque utrique labor fortunaque belli,
 62 atque idem casus, vitaeque morsque manent.
 63 O mihi si, conjux, o si galeamque sudemque
 64 ipsa geras, forti quam lubet esse mihi ;
 65 castra placent ; date tela mihi, perque arma tubasque
 66 jam juvat audaces conseruisse manus.
 67 Dum lateri meus ignis adest, non ipse verebor
 68 solus in adversos corpora ferre globos,
 69 solus et urgenti clipeos opponere turmae ;
 70 mille licet feriant, mille repellat amor.
 71 Me miserum, neve ora calor, neu frigora laedant,
 72 atterat heu molles neu gravis hasta manus.
 73 An mihi jam fuerit dulcis victoria tanti,
 74 ut tibi sint formae damna timenda tuae ;
 75 tene ego sustineam rapidi fera sidera Cancri,
 76 tene graves hiemis continuare nives ?
 77 Tene imbres Eurosque ? Procul sit gloria belli,
 78 rursus in aërios, proelia, abite Notos,
 79 et rursus, pax alma, redi, cui blanda voluptas
 80 sit comes, et felix omina cantet Amor.

QUERITUR DE EXPEDITIONE OBEUNDA

C1_08 v.1 Musarum quondam Bacchique domestica cura
 2 ipse tuam colui, candide Phoebe, lyram,
 3 assuetus rivisque sacris et rure beato
 4 compositae mentis otia grata sequi,

5 cum Veneris placidos componebamus in usus
 6 carmina, quis esset conciliandus amor.
 7 Nunc vates ad bella trahor Martemque cruentum :
 8 heu pharetris parcas, hostis acerbe, tuis,
 9 parce, pater Gradive, levisque avertte sagittas ;
 10 extincto quaenam est gloria vate tibi ?
 11 In trucibus fera tela viris consumere oportet ;
 12 praeterit imbelles ira leonis oves.
 13 Te quoque movit amor : prosit mihi nomen amantis,
 14 et supplex et amans noscat amantis opem.
 15 Imbellis mihi fila lyrae, non letifer arcus,
 16 et placet appposito plurima mensa mero,
 17 et placet, arenti sitiunt cum rura Leone,
 18 umbra, sonat placidae qua leve murmur aquae,
 19 aut tenuem visco praedam vel arundine piscem
 20 excipere, aut alta tendere valle plagas.
 21 Arma viros ac bella decent : nos grata Camenis
 22 otia et in molli culcitra picta toro ;
 23 et tamen instructasque acies ac signa videre
 24 cogimur, et patria tam procul esse domo.
 25 Me miserum, poterone tuis, Ariadna, lacertis
 26 longius et facie sic caruisse tua ?
 27 Et poterone oculis ? Non haec constantia nostra est.
 28 Vincat amor ; jam jam, turbide Sene, vale,
 29 castraque turrigero valeant circumdata vallo :
 30 meme amor audaces cogit inire vias.
 31 Ille per oppositas secreto limite turmas
 32 ducit et hostiles praeterit insidias,
 33 ille iter in tenebris explorat et obvia monstrat ;
 34 hoc duce per Syrtes sit via tuta mihi.
 35 Heu heu, quam pleno decurrit margine Senus,
 36 heu heu, quam ripas non capit ipse suas,
 37 non rapidas capit amnis aquas, trahit arva domosque,
 38 et juga divulsis montibus hausta vehit.
 39 Sors igitur plus quam vel Amor vel numina possunt,
 40 exercet vires casus ubique suas ;
 41 casus Abydenis juvenem demersit in undis
 42 cum petit amplexus, sesta puella, tuos ;
 43 casus Threicio consortem sustulit Orptheo,
 44 errat dum nudo prata per uda pede ;
 45 omnia casus agit ; quod non dat Amorve Venusve,
 46 eveniet, quotiens casus et ipse volet.
 47 Frustra igitur divos miseri veneramur amantes ;
 48 numen Amor nullum est, numen inane Venus.
 49 Orta mari cum praesit aquis, cur flumina parent
 50 nulla, nec est misero qui ferat amnis opem ?
 51 Et quondam fontes et quondam flumina amarunt :
 52 saevire haec una est gloria, Sene, tibi.
 53 Saeviat in te atroxque Canis rabiesque Leonis,
 54 atque hiemis medio tempore siccus eas.

AD UXOREM DE LIBERIS EDUCANDIS

C1_09 v.1 Quid tibi communis natas, tria pignora, conjux,
 2 commendem, quarum maxima cura tibi est ?
 3 Nam tua nec virtus, nec amor monitore marito
 4 indiget, et matris munera docta subis.
 5 Sed tamen, ut partesque meas et jura tuerer,
 6 neve absens videar non memor esse domus,
 7 haec obeunda tibi constanti pectore mando,
 8 officii quae sint munera certa tui.
 9 Primus honos pietasque Deo templisque dicatis ;
 10 hoc primum discant pignora nostra, vide.
 11 Tempa adeant caste, castisque piissima votis
 12 dona ferant : gaudet simplicitate Deus.
 13 Tum colere antiquas artes maternaque jussa,
 14 atque agili discant carpere pensa manu ;
 15 in digitis acus, ante pedes intexta quasilli
 16 viminaque et fuso stamina torta levi.
 17 Hoc Tanaquil opus, hos mores Lucretia monstrat,
 18 Phylacidae hos conjux, Telemachique parens.
 19 Multa pater materque valent infundere natis,
 20 transit et in seri jura nepotis avus ;
 21 insita sed studio vis confirmanda fideli est,
 22 natura ut mores induat usa bonos ;
 23 arte opus est ; artem sollers quoque perficit usus ;
 24 perficit ars quicquid reperit ingenium.
 25 Sponte sua quamvis tellus fecunda, novari
 26 poscit, et optata gaudet arantis ope ;
 27 sponte sua vitis profert Baccheia racemos,
 28 sed tamen assidua falce colentis eget.
 29 Quid, quod quae sterilis natura creverat arbos,
 30 insita pomiferas portat onusta comas ?
 31 Arte igitur natura juvatur, et arte magistra
 32 sumunt diversos pectora nostra habitus.
 33 Format aratorem domita cervice juvenum
 34 agricola, ut currus axe sonante ferat ;
 35 format equum domitor, sic ut petat obvius hostem,
 36 sensit ubi audaces signa dedisse tubas.
 37 Dum tenera est aetas, dum mens patiensque magistri,
 38 tum proprias artes quisque docendus erit ;
 39 ergo dum molles animi, nunc imprime, mater,
 40 quae pietas, quae lex fasque pudorque jubent.
 41 Plura licet nostras commendent dona puellas,
 42 matronae decus est una pudicitia :
 43 forma brevis, vigor est animi splendorque virilis.
 44 Munificam regis addecet esse nurum :
 45 nos pudor, ac probitas, nos vitae ruga severae,
 46 nos labor insomnis mensaque parca decet.
 47 Otia nequitiam suadent, dat luxus amori
 48 fomenta ; in venerem, saeve Lyaeae, rapis ;
 49 dicitur et fontes fontanaque numina amasse
 50 quae dea tutelam virginitatis habet,
 51 Lenaeos latices odisse et pocula bacchi,
 52 pocula virginibus perniciose suis.
 53 Callisto Arcadicis cur ursa erraverit agris,
 54 fama tenet sacrum destituisse chorum,

55 Naiadum et latebras mediis petiisse diebus,
 56 sermone et longas continuasse moras.
 57 Illic Oenones miseros cognovit amores,
 58 cognovit versos ad sua furta deos,
 59 illic Eveni natam pugnacibus armis
 60 abreptam atque Idae praeposuisse torum,
 61 cognovit spretum dilecta ab virgine Phoebum,
 62 Evenum rapidis sponte subisse vadis ;
 63 qualia dum memorant faciles ad furta Napaeae,
 64 Arcas amat versos ad sua vota deos.
 65 Corrupunt mala dicta animum, moresque verendos,
 66 in veros sensus saepe abiere joci :
 67 lascivos igitur coetus lascivaque verba
 68 pignoribus nostris rite cavenda, vide.
 69 Penelope numquam, numquam Lucretia vidit
 70 histrio dum molli scenica voce canit.
 71 Templi pudicitiam maculant : ni rite peractis
 72 rebus abis, templi noxia saepe mora est.
 73 Rustica nec mihi sit, nec sit mihi blanda puella,
 74 quamquam rusticitas labe vacare potest :
 75 blanda procax facile est et amata ad ludicra velox,
 76 sit procul o, procul o blanda procaxque mihi.
 77 Non quales ageret didicit numerosa choreas,
 78 sed quos exigeret Laodamia colos.
 79 Dum trahit ante rotas devictas Scipio gentes,
 80 et peragit magnos libera Roma jocos,
 81 matronae juvenesque simul per compita saltant,
 82 concinit et varios tibia Lyda sonos.
 83 "Romanos, inquit, numeros inflare memento,
 84 Aemilia, et nostros, advena, tange modos."
 85 Non omnis igitur numeros, non quasque choreas
 86 quae proba, nec quaevis carmina nosse cupit.
 87 Ausam vix memorant tectis Argian avitis
 88 prodisse et raras urbis adisse domos.
 89 Quae casta est, thalamo gaudet laribusque paternis :
 90 turba nocet, turbae crimina ubique placent.
 91 Est oris quoque lex, est et sua cura capillo,
 92 quam tenuisse decet, praeteriisse nefas.
 93 Evadne hoc placuit, placuitque hoc Martia cultu,
 94 ornatus tamen est neutra secuta novos ;
 95 ante Helenam nullae crines emere puellae ;
 96 Troja docet quantum non sua forma nocet ;
 97 nec faciem, nec colla prius, nec pectora norant
 98 pingere, nec fuco consuluisse genis :
 99 primae Sirenes cultus docuere negatos,
 100 est nova sed crimen poena secuta novum.
 101 Quid tibi praecipiam molles vitare fenestras ?
 102 Ad culpas aditum laxa fenestra facit.
 103 Libera mens, captiva tamen sint lumina, quando
 104 hanc animo invenit saeva libido viam ;
 105 cogite fallaces, animus ne peccet, ocellos,
 106 cogite, libertas ne peritura cadat ;
 107 pellite materiam primasque exstinguite flammis ;
 108 vincite, vincentes palma decusque manent.
 109 Haec tibi nunc, conjux, non ut moveamve rogemve,
 110 sed studium absentis noris ut esse domus ;

111 perge, et consortem natis nunc exige curam :
 112 est labor, at merces magna parata tibi.

EXSULTATIO DE FILIO NATO

C1_10 v.1 Ite procul, curae insomnes ; sint omnia laeta ;
 2 Cretensi lux haec more notanda mihi est ;
 3 ite iterum, curae insomnes, procul ite, dolores ;
 4 fulxerit haec nitido sidere fausta dies,
 5 qua mihi vitales genitus puer exit in auras ;
 6 spargite nunc variis atria tota rosis ;
 7 spiret odoratis domus ignibus, aemula lauro
 8 myrtus adornatos pendeat ante lares.
 9 Ipse deos supplex tacita venerabor acerra,
 10 et reddam sacris debita thura focus :
 11 sancte Geni, tibi solennes prostratus ad aras
 12 fundo merum, et multo laurus in igne crepat.
 13 Vota manent : sua signa deum testantur, et omen
 14 clara dedit celeri flamma voluta gradu,
 15 ipse et pacato movit sua vertice sarta,
 16 et fragilis cecidit crine decente rosa ;
 17 ipse manu rata signa dedit. Tu, sidere dextro
 18 edite, felices exige, nate, dies,
 19 produc fatalisque colos, et longa sororum
 20 stamina dent faciles in tua fila manus,
 21 spesque patris matrisque auge, superesque parentum
 22 vota, fluant Hermus Lydiaque unda tibi.
 23 Auguror et patrias olim meditaberis artes,
 24 et studia antiquae non inhonora domus ;
 25 sive tibi carmen placeat, tibi carmina Musae
 26 dictabunt, virides cinget Apollo comas ;
 27 sive vias caeli rerumque exquirere formas
 28 naturae et causas explicuisse juvet,
 29 seu leges atque arma fori, te proxima possunt
 30 exempla et patres exstimulare tui.
 31 Sed neque te vel dirus amor, vel gloria belli
 32 vicerit, ut matri sis timor usque tuae :
 33 illa graves tulerit decimo jam mense labores,
 34 languida de partu mortua pene mihi.
 35 At tu jam tanto, mater, defuncta periculo
 36 in nova praeteritos gaudia verte metus ;
 37 jam, mater, quid matris opus, quid munera differs ?
 38 Cur non materno jam cubat ille sinu ?
 39 En patri similes oculos, en mater in ore est,
 40 en vultus, in quis spirat uterque parens,
 41 en senii solamen adest. Vos spargite multo
 42 flore domum, et thalamis lenior afflet odos.

LIBER II

ACCUSATUR NIMIUS PUELLARUM CULTUS

C2_01 v.1 Ecquae Pieridum mecum canit ? Euge, puellae,
 2 ecquae Castalio fonte ministrat aquam ?
 3 Quaenam est, quae suffusa genas demissaque ocellos
 4 incipit ? O sacra carmina digna dea.
 5 Anne ea Melpomene est, dulci dea cognita cantu ?
 6 Felicem, cui fas ora videre deum.
 7 Atqui olim latis errabant numina campis,
 8 nec puduit tenues accubuisse casas.
 9 Saepe etenim Pietas, divum quae maxima natu est,
 10 astitit, ante aras dum cadit agna Jovi ;
 11 saepe pudicitiam gelido videre sub antro,
 12 aut in gramineo membra levare toro.
 13 O quotiens, fesso somnos carpente colono,
 14 Astraeam tristes extimuerunt lupi.
 15 Illa, diu terris placida cum pace vagata,
 16 et statuit leges, et sua jura dedit,
 17 illa greges docuit silvas, pastore vocante,
 18 pergere et a silvis nocte redire domum,
 19 illa etiam fortes docili cervice juvencos
 20 ferre jugum, et gravibus flectere colla rotis.
 21 Tunc et equus primis comescuit ora capistris
 22 nescius intortas ante timere minas ;
 23 omnia tunc, dicente dea, pecudesque feraeque
 24 discebant munus ordine quaeque suum.
 25 In primis servare fidem dominumque vereri
 26 docta canis, custos ditis amica domus,
 27 quales deliciae vatam Capuana, dolorque
 28 Asterion, castae grata rapina deae.
 29 Quid vatem, Diana, queri, quid dicere cogis
 30 in teque inque alias impia verba deas ?
 31 Musarum hic canis est ; quid enim tibi juris in illo ?
 32 Redde suum Muis, et mihi redde meum.
 33 Non ille assuetus silvis, sed grata puellis
 34 limina, sed domini pone jacere pedes,
 35 sed thalamos servare et mensae assistere herili,
 36 inque puellari ludere saepe sinu.
 37 Quem raptum infelix mater cum ferre nequiret,
 38 paulatim misero victa dolore cadit :
 39 non somnos, non illa cibos miseranda requirit,
 40 finiat ut luctus, morte jubente, suos.
 41 Felices catuli, quos dilexere poetae,
 42 et quorum ad tristes concinuerunt rogos ;
 43 non illos (siquid possunt mea carmina) tempus
 44 abstulerit : vivent secula longa senes ;
 45 Elysii quos arva tenent felicia campi,
 46 optatasque ferunt pascua laeta dapes,
 47 e foliisque cadunt passim variique sapes,
 48 securique errant et sine lite greges.
 49 Mirantur manes aequis ut cursibus auras,

50 ut tranent celeri roscida prata fuga,
 51 forsitan et vates aliquis dum cantat, adesse
 52 gaudet, et : "An, dicit, hi quoque carmen amant ? "
 53 Sed satis haec, dum Musa novas cum pectine chordas
 54 desuetaeque aptat fila remissa lyrae.
 55 Nunc agite, o faciles aures adhibete puellae,
 56 dum canit, et liquidum dum dea pulsat ebur :
 57 diva canit, quodque illa canit cognoscere sanctum est ;
 58 vos modo quod sanctum est noscite, diva canit :
 59 "Parcite veloci nimium considerare formae.
 60 Praeterit : en fragili quam mora nulla bono est.
 61 Haec flos est, et flore caducior ; hanc dolor, hanc sors
 62 et morbi vitiant instabilisque dies ;
 63 atque ea quaecumque est, nullo aut violanda paratu
 64 aut modico : cultus lex quoque certa datur.
 65 Quid pretiosa juvant, tortisque affixa capillis
 66 gemma ? Quid in collo nexile pondus agit ?
 67 Quaeritur his conjux : mores non gemma parabunt :
 68 crimen inest si, quod laudet amator, agas.
 69 Nec, si forma bonum est, externos quaerit honores ;
 70 ingenuumque bonum quid facis arte malum ?
 71 Si mentem abjicias, turpe est sine pectore cultus :
 72 exerceto animum ; culta, puella, sat es.
 73 Sed tamen ut mores animum, sic corpus honestant
 74 munditiae ; labem vitat uterque suam :
 75 ut virtus contenta modo est, mensuraque morum est,
 76 sic et munditiis formula certa data est :
 77 si modo vos moveant Sirenum infamia monstra,
 78 selectos cultus quaeque puella fuget.
 79 Hae facie cantuque et Palladis arte placebant,
 80 sedula sed nimii cura decoris obest.
 81 Saepe illis nutrix : o quid bona tanta per artem
 82 perditis, et causam criminis ora gerunt ?
 83 Saepe inter choreas aliae risere puellae,
 84 et damnant cultus luxuriantis opes.
 85 Forte renudatis ibant ad templa papillis,
 86 qua brevis aenario est insula cincta mari ;
 87 ora madent, liquidoque madent et tempora fuco,
 88 inficit et roseus non sua labra rubor ;
 89 colla nives infecta gerunt, ac nulla papillas
 90 vitta tegit, nimia guttur ab arte nitet,
 91 pictae oculos, multumque alieno crine superbae,
 92 luxuriam facie testificante suam.
 93 Quas dea prospiciens gradibus sullimis ab altis
 94 avertitque oculos opposuitque manum :
 95 nec si, inquit, dea sum, siquid mea numina possunt,
 96 siqua Pudicitiae juraque visque valent,
 97 haec impune ferent, nec nos laesisse juvabit,
 98 et meus in poenas induet arma dolor.
 99 Vix templo exierant, vix litora summa tenebant,
 100 arida vix primos ceperat alga pedes,
 101 senserunt teneris squamas horrescere plantis,
 102 ossa quoque in spinas ire coacta novos,
 103 qui fuerant ungues alium traxere rigorem,
 104 pro digitis pinnas, pro cute tergus habent ;
 105 mens quoque mutata est, nec se velut ante puellas,

106 sed vasti credunt aequoris esse feras,
 107 atque ita se in fluctus inque aequora proxima mittunt
 108 pube tenus pisces, caetera ut ante manent.
 109 Scilicet ut veteris sit nota infamia culpae,
 110 exemplum et timeat quaeque puella sibi,
 111 tela Pudicitiae moneo vitate, puellae,
 112 contentae propriis simplicibusque bonis.
 113 Luxuries infensa deae est, infensa decoris
 114 cura novi, nil est simplicitate prius,
 115 haec placet ; haud ulla est quaesitae gratia formae ;
 116 quae studio peccas, simplicitate places.
 117 Nulla est ornandi, nulla est, mihi crede, parandi
 118 gloria : naturae est forma, nec artis opus.
 119 Ars odio digna est, ubi nullo fine tenetur ;
 120 naturae est similis hic ubi finis adest.
 121 Nil fuit in toto quicquam formosius orbe
 122 conjuge, qua felix Protesilaus erat ;
 123 nullis haec gemmis, nullo est adjuta colore,
 124 et rara numquam cultior arte fuit ;
 125 ornabat faciem solo contenta pudore,
 126 felix si numquam rapta Lacaena foret.
 127 Illa, Mycenaeis avecta penatibus, Iden
 128 dum petit et Danaos cogit in arma duces,
 129 Phylacides primusque venit primusque dolorum
 130 ultor adest, primus et cadit ante rates.
 131 Conjugis at miserae thalamos non immemor umbra
 132 maesta subit, Stygiis nocte remissa vadis :
 133 Aemoniae dum membra fovet dilecta maritae,
 134 vulnera nudato sunt patefacta sinu.
 135 Illa gemit, funditque imo de pectore questus,
 136 frigidus et miserae concutit ossa tremor,
 137 amplexusque inter lacrimosaque verba recessit
 138 et sopor et somnis nigrior umbra suis.
 139 Mane deos miseranda parum felicibus extis
 140 nequicquam et multa supplicat usa prece,
 141 pluraque sacratis promittit munera templis,
 142 votaque pro reditu vix numeranda facit.
 143 At postquam infelix exstincti fama mariti
 144 certa fuit, cineres et brevis urna refert,
 145 transigat infestum sua per praecordia ferrum,
 146 comprimat amentes ni pia turba manus.
 147 Unum hoc non licuit : misero concessa dolori
 148 caetera, et in casto regnat amore furor.
 149 Quod potuit comitatu virum est, nec vera fatenti
 150 vita magis quam mors illa vocanda fuit ;
 151 servavit cinerique fidem lectoque jugali :
 152 o rarum in longa posteritate decus.
 153 Delitet in tenebris, lucemque perosa virosque ;
 154 proque viro infelix urnaque et umbra fuit,
 155 urna quidem cineresque die, sed noctibus umbra ;
 156 haec comes, haec conjux, haec et amator erat."
 157 Talia Melpomene. Mihi tum specus Aonis antrum
 158 pandit, et e vera Thespide manat aqua.

VILLAM SALUTAT A MILITIA REGRESSUS

C2_02 v.1 Rura, iterum salvete, iterum salvete, coloni,
 2 Tyrrhenae valeant Martiaque arma Senae ;
 3 pone hastam, Gradive, quietus et exue bellum,
 4 otia segnis hiems, otia quaerit amor,
 5 te Venus exspectat thalamo, tibi bruma perennes
 6 dat noctes, requiem poscit et ipse labor.
 7 Hine lares fundusque meus ? Mea praedia cerno :
 8 o mihi tam fausto sidere nata dies.
 9 Funde, puer, calices ; lux haec Cretensis agatur ;
 10 funde iterum et multo splendeat igne focus,
 11 igne focus, madeat generoso mensa lyaeo,
 12 impediatur canas myrtus opaca comas.
 13 Tyrrheni, procul hinc, procul hinc estote, labores ;
 14 otia securus garrula Bacchus amat.
 15 Dic, puer, anne aliquos quereris malesanus amores ?
 16 Num tua sollicitet pectora Etruscus amor ?
 17 Margara num, roseove decens Grecinna colore ?
 18 Num facie et blandis grata Terinna jocis ?
 19 Me dulcis Juneptra ; novos haec suscitatur ignes,
 20 absentemque urit bella puella senem.
 21 Desine et ipsa meas, Juneptra, incendere curas
 22 frigidaque absentis corda fovere face,
 23 parce seni, restingue faces. Tu prome Falernum,
 24 leniat ut curas ebria cura novas ;
 25 pone merum, pone et talos : post vina jocumque
 26 it sopor, hic curas diluet ipse graves.

EXSULTATIO DE PACE IAM FACTA

C2_03 v.1 A bellis ad rura et ad otia grata Camenis,
 2 ad rura a bellis, uxor amata, vocor.
 3 Pax Cererem redditque agris redditque Lyaeum,
 4 et sua cantantem Maenala Pana sonant ;
 5 pace sua laetatur humus, laetantur agrestes,
 6 et resides somnos oppida fessa trahunt ;
 7 jam facilis, jam laeta choros per prata Voluptas
 8 ducit, et optatus rura revisit Amor ;
 9 rura Venus rurisque colit nunc, urbe relicta,
 10 laeta domos ; laetus numina sentit ager.
 11 Ergo alacres sequimurque deos, et rura petamus :
 12 huc propera, mecum huc, uxor amata, veni :
 13 huc veris te poscit honos rurisque beati,
 14 et rure et verno tempore natus amor.
 15 Urbis opes valeant, nil rure beatius ipso ;
 16 rura placent Mysis, rura Diana colit,
 17 rura fides habitat, habitat probitasque pudorque
 18 et fas et pleno copia larga sinu.
 19 O valeant urbes : quid enim felicius agro ?
 20 Hic tecum, hic, conjux, vita fruenda mihi est.
 21 Otia si capiant animum, quid mollius umbra,
 22 fundit quam multa populus alba coma,
 23 quam platanus platanoque decens intersita laurus,

24 et quae tam raro citrus honore viret ?
 25 Sin labor, ut teneras hortis disponere plantas,
 26 ut juvat humentes carpere mane rosas,
 27 aut tenuem e solis laribus pinxisse coronam,
 28 et sua triticeae sertae parare deae,
 29 nunc legere arbuteos fetus montanaeque fraga,
 30 aureaque in calathis mala referre novis,
 31 nunc agere incautas in retia caeca volucres ;
 32 mille modos placidi rura laboris habent.
 33 Sed, conjux, tua vota moror : laqueata valet
 34 et tecta et thalami ; te duce, rura peto.
 35 Dux conjux, cui cana fides, cui castus eunti
 36 haeret amor, sequimur teque tuosque deos.
 37 O mihi post longos tandem concessa labores,
 38 o mihi non juveni, sed data forte seni,
 39 o mentis tranquilla quies. Salvete, beati
 40 ruris opes, salve, terra habitata diis,
 41 terra bonis fecunda et nulli obnoxia culpae ;
 42 hic tecum, hic, conjux, vita fruenda mihi est,
 43 ista senes nos fata manent. Mors usque vagatur
 44 improba. Vis mortem fallere ? Vive tibi.

LAETATUR IN VILLA ET HORTIS SUIS CONSTITUTUS

C2_04 v.1 Hos ego ruricolamque bovem simamque capellam
 2 quam laetor nitida luxuriare cute ;
 3 divitiaeque laris tenuis non segnis asellus,
 4 ut spondet multo plurima ligna foco,
 5 insultatque solo, atque ad herum lascivior annis
 6 calcitrat, et posita lite recumbit humi ;
 7 hac malo vix est fecundior ulla per hortos,
 8 atque gravata suum quam bene portat onus ;
 9 quam felix, quam laeta nitet morusque pirusque,
 10 et dites ramos pondere victa gravat.
 11 Has, conjux, scis, has alieno e stipite gemmas
 12 trudere, adoptatas et bene ferre comas ;
 13 hae mites pruni fetus, hae fertile praecox,
 14 et multum nobis aurea mala ferent,
 15 seu campanus ager, sive hanc dedit Africa pomum,
 16 artifices hominum sive tulere manus ;
 17 non grato sine honore feret, sine divite fructu,
 18 non sine caeruleis azariola comis.
 19 Has, pueri, cohibete, premat ne pampinus uvas ;
 20 luxuries non haec, non mihi tanta placet.
 21 Illa placent plenis innixa Cydonia ramis.
 22 Quantus honos mensis, gratia quanta manet ;
 23 quae biferis, quae Sarnensi, quae multa Volumbro
 24 gloria, quas laudes Puteolana refert.
 25 Aut haec, aut etiam nostris est major in hortis :
 26 Alcinoi vincit noster agellus opes.
 27 His olim, conjux, opibus felicior aetas
 28 aurea, de facto nunc quoque nomen habet,
 29 cum sua cuique satis, nec plus aliena placebant,
 30 et pecus, et cultus cuncta parabat ager ;

31 auro nullus honor, nullae et sine nomine gemmae,
 32 non illo quisquam tempore adulter erat,
 33 nec vagus errabat Veneris puer, aut mala doctus
 34 vulnera, sed solas ille petebat equas.
 35 Siquando in pratis perrara ad festa puellae
 36 jungebant dociles rustica ab arte manus,
 37 his pudor haerebat fidus comes, ille monebat,
 38 qua se quaque oculos arte movere decet.
 39 Namque ferunt, captos hominum pietate, relicto
 40 tellurem divos incoluisse polo ;
 41 at vitia infernoque lacu Stygiaque palude
 42 horrendisque Erebi delituisse cavis.
 43 Tunc felix hominum coetus, tunc nectaris amnes,
 44 et fontes lactis, robora mellis erant ;
 45 caelitibus simul immixti juvenesque senesque
 46 prandebant, vini non tamen usus erat ;
 47 una amor atque pudor, una accumbebat honestas,
 48 et venus et probitas formaque juncta simul.
 49 Haec hominum sors dulcis erat, sors laeta deorum,
 50 haec bona praestabat tunc habitatus ager.
 51 Prima Erebo egressa est falso custode cupido :
 52 illa fuit nostri prima ruina mali,
 53 illa rudes animos curis infecit habendi,
 54 in scelus et pronas jussit habere manus,
 55 illa torum thalamique faces violare jugalis,
 56 cognati et nullam sanguinis esse fidem,
 57 illa nefas, vetitumque sequi, vetitoque potiri
 58 suasit, et intinctas sanguine habere manus.
 59 Hinc levis Ambitio Phlegethonte emersit ab imo
 60 Livorque exanguis pervigilesque Doli ;
 61 tum terras coetusque hominum moresque nefandos
 62 numina et infamem deseruere locum.
 63 Sola Venus, teneri pastoris imagine capta,
 64 et caelo terras praetulit et puerum,
 65 nec ruri contenta novas migravit in urbes :
 66 illa dies miseris urbibus atra fuit,
 67 qua luxus, luxuque malo conjuncta voluptas
 68 intravit castas desidiosa domos.
 69 Hinc vitii genus omne caput, genus omne malorum
 70 sustulit, et regnis incubuere suis.
 71 Nos ah, nos urbes, conjux, procul esse jubemus :
 72 rura placent : luxus desidiouse, vale.
 73 Simplicitas nos prisca juvet, nos parca supellex
 74 et facilis victus et sine sorde toga.

AD BACCHUM CONSECRATIO

C2_05 v.1 Hos statuit tibi, Bacche, lacus cum conjuge vates ;
 2 accipe pacatus munera nostra, pater.
 3 Quod vatium pater es, prosit mihi ; prosit et uxor,
 4 quodque Ariadna tibi est, quodque Ariadna mihi est.
 5 Huc tua te Antiniana vocat cultissima nymphe,
 6 teque manet cupido blanda puella sinu,
 7 te petit exoptatque, tuos suspirat amores,

8 gestit et ad plenos ludere nuda lacus,
 9 qualis ubi primum florem primosque hymenaeos
 10 victa dedit, cum te per juga traxit amor.
 11 Errabas miser in silvis : ridere Napaeae,
 12 ridebant Dryades cornua, Bacche, tua ;
 13 septem te videre hiemes per devia lustra
 14 ferre nivem, et rapidos messe tulisse dies.
 15 Illa deum miserata : "Quid, o mitissime, dixit,
 16 vimne paras ? Non haec proelia poscit amor."
 17 Injecitque manum collo. Tibi lenis ab ore
 18 aura venit, tibi tunc oscula rapta sonant.
 19 Exanimis cadis : illa sinu mollissima blando
 20 excipit, et tenera mulcet amica manu.
 21 Tune deus, tune anguipedes victure Gigantes,
 22 tune jaces tenero, Bacche, fovende sinu ?
 23 Tune manu mulcende jaces ? Sed splenduit aer,
 24 prela novo radiant lumine, Bacchus adest,
 25 Bacchus adest ; tumuere lacus, tumuere racemi,
 26 nec capiunt fluidum labra minora merum,
 27 euge, pater Lenaee, evan, pater Euchius, evan :
 28 vina fluunt, plenis condite musta cadis,
 29 ferte citi : pater, euge, evan, pater Euchius, evan :
 30 ferte citi, jam jam dolia nulla vacant.
 31 Euge, pater : ne plura, pater, pater Euchius, euhoe,
 32 siste pedem ; ad lusus Antiniana vocat,
 33 ostentatque sinu venerem ostentatque papillis,
 34 illi amor inque oculis lusitat inque genis,
 35 perque oculos lascivit amor perque ora genasque,
 36 eque genis oculisque afflat et ore venus.
 37 Jam, pueri, cohibete oculos, avertite vultus,
 38 diva deum, divam dum deus ipse fovet,
 39 dum ludunt ad prela. Pater mitissime, salve,
 40 annuus et rediens ad tua musta veni.

RUSTICUM ALLOQUITUR

C2_06 v.1 Rustice, neglecti cultor male fortis agelli,
 2 qui subigis pigro rura paterna bove,
 3 dumosoque sinis obduci limite campum,
 4 duraque non certo subruis arva die,
 5 fallacisque tibi Cereris, fallacis et uvae
 6 fructus, et ingrati poma minuta soli,
 7 non seges haec, non cura levis, non lenta colendi
 8 desidia, offensi sed facit ira dei ;
 9 cujus numen aquae violas, dum saepe lutosam
 10 a stabulis vitreo perluis amne suem,
 11 annua nec veteri reddis sua vota sacello,
 12 sed caedis sacra religione nemus.
 13 Ira deos tangit. Caelestem vince furorem
 14 thure pio, et multam sedulus adde precem ;
 15 agna cadat Fauno, pinguisque ex ubere matris
 16 imbuat offensas candidus haedus aquas ;
 17 placabisque deum, sacrae qui praesidet undae,
 18 viscera de niveo tosta ferens vitulo.

DE ORTU ET GENITURA LEPORUM

C2_07 v.1 Fallor, an est Charitum chorus hic, chorus ille Leporum ?
 2 Ure, puer, plena mascula thura manu.
 3 Spargite humum violis, chorus advenit ; ite, profani ;
 4 jam subit ornatas candida turba fores.
 5 Nunc ades, o mihi culta chelys, dum pauca puellis,
 6 dum canimus blando pauca sed apta gregi.
 7 Forte quiescebat Veneris chorus ad caput amnis,
 8 roscida Sebethos qua piger arva secat.
 9 Caeruleae per prata deae, per prata Napaeae
 10 hic illic placida membra quiete levant,
 11 aura movet virides ramos, vaga murmurat unda,
 12 et dulce in soliis garrula cantat avis.
 13 Dulcidia ad salicem viridique in margine ripae,
 14 sicut erat, rapido fessa calore jacet ;
 15 aura levis tunica suram nudabat, at illi
 16 crura per ignoto lumine candet ebur ;
 17 ipsa etiam tenuem spirabat leniter auram,
 18 languenti qualem spirat ab ore sopor,
 19 forsitan et veteres animo suspirat amores,
 20 somniat amplexus dum, Tegeae, tuos.
 21 Optanti non serus ades, dum gramina servas,
 22 explorasque levem qua tulit illa pedem.
 23 Quae tum deliciae, quae murmura, quis fuit ardor ;
 24 post rixas, post tot proelia quanta quies.
 25 Risit ut exanimes vidit Cytherea, repensque
 26 currit in amplexus, pulcher Adoni, tuos,
 27 nullaque, quae vos nympa videt, non invidet aut non
 28 quaerit amatorem protinus illa suum.
 29 Illa dies inter Charitesque interque Napaeas,
 30 illa dies nymphis jure beata fuit,
 31 illa etiam, puero ut placeat, Cytherea retextit
 32 molle latus, reteggit, mollis Adoni, tuum ;
 33 securae in tenero jacuistis gramine, nympae,
 34 egistisque vices, dedecuitque nihil.
 35 Dulcidiae paulatim uterus crescebat, et aegram
 36 vexabat geminus ventre gravante puer.
 37 "Affer opem et genitor natis, et amator amanti"
 38 clamat : fert genitor, fert et amator opem.
 39 Forte aberat Lucina domo. Cyllenius aulam
 40 ingressus furtum, fur deus ipse, parat.
 41 Unguentum e thalamo, magnae Junonis ad usum
 42 servatum, artificii surripit ille manu,
 43 ungit et hoc uterum divae : cessere dolores ;
 44 illa parit geminos, tum dea mater ait :
 45 "Ipsa levata labore vocem vos jure Lepores ;
 46 nominis haec vestri non mihi causa levis :
 47 vos eritis curis requies, vos mite levamen,
 48 sollicitisque animis diminuetis onus."
 49 Haec genitrix sic orsa Venus, sic mater Amorum,
 50 Puniceasque sinu spirat et ore rosas :
 51 "Mecum eritis quocumque loco, quocumque recessu,

52 o pueri, ut nostri pars bene digna chori,
 53 nec vobis sine dulce aliquid ; mihi ubique Leporum
 54 juncta cohors, mihi sit junctus uterque comes :
 55 hoc mater merita est, tenerae hoc meruere sorores,
 56 inventaque lyra nobilis ipse pater."
 57 Dixitque excepitque sinu dea laeta beato,
 58 ambrosium et roseo stillat ab ore decus ;
 59 ambrosiae hausere auramque Idaliumque liquorem
 60 tum pueri, et blandos ore dedere modos.
 61 Arrisit, tenerisque iterum dea fovit in ulnis,
 62 hos et Acidalio protulit ore sonos :
 63 "Nullae vos curae, pueri, nil triste dolensve,
 64 non labor aut maeror pectora vestra gravet ;
 65 otia sed risusque juvent lususque jocique,
 66 blanditiaeque leves, mollitiesque decens ;
 67 sit semper puerile decus puerilis et aetas,
 68 insideat labris Attica semper apis."
 69 Haec vobis, Veneris pueri, Chariteia propago,
 70 haec canit aurato pectine eburna chelys,
 71 haec vobis Cnidiae nymphae, quis dulcia curae,
 72 quae mentes placida conciliatis ope.
 73 Vos numeros ne, dia cohors, ne temnite nostros,
 74 si mea sunt vestris cognita plectra choris.
 75 At vos, Dulcidiae nati, qui mitia tecta
 76 Parthenopes, miti rura beata solo,
 77 qui colitis Stabiosque sinus Sarnique recessum
 78 et Surrentinis litora nota jugis,
 79 cantibus his spirate, hilares tenerique Lepores,
 80 lenis et afflatu mulceat aura novo,
 81 qualem, cum teneris lac instillaret alumnis,
 82 spirabat niveo dia Melissa sinu.
 83 Sic vobis sit triste nihil, sint otia laeta,
 84 Mesopius grato sic fluat ore liquor.

NAENIA PRIMA AD SOMNUM PROVOCANDUM

C2_08 v.1 Somne, veni ; tibi Luciolus blanditur ocellis ;
 2 somne, veni, venias, blandule somne, veni.
 3 Luciolus tibi dulce canit, somne, optime somne ;
 4 somne, veni, venias, blandule somne, veni.
 5 Luciolus vocat in thalamos te, blandule somne,
 6 somnule dulcicule, blandule somnicule.
 7 Ad cunas te Luciolus vocat ; huc, age, somne,
 8 somne, veni ad cunas, somne, age, somne, veni.
 9 Accubitum te Luciolus vocat, eia age, somne,
 10 eia age, somne, veni, noctis amice, veni.
 11 Luciolus te ad pulvinum vocat, instat ocellis ;
 12 somne, veni, venias, eia age, somne, veni.
 13 Luciolus te in complexum vocat, innuit ipse,
 14 innuit ; en venias, en modo, somne, veni.
 15 Venisti, bone somne, boni pater alme soporis,
 16 qui curas hominum corporaque aegra levas.

NAENIA SECUNDA AD VAGITUM SEDANDUM. NUTRIX CANIT

C2_09 v.1 Ne vagi, ne, blande puer, ne, parvule, vagi ;
 2 blanda rogat blandum Lucia Luciolum.
 3 Ne vagi, ne lacrimulis corrumpere misellis
 4 turgidulosque oculos turgidulasque genas.
 5 Ecce tibi balbo ore sonat, blaeso ore susurrat
 6 Eugenia et dulces garrit in aure jocos ;
 7 ecce tibi mollem inflectens Aurelia vocem
 8 fabellas bellas, carmina bella canit.
 9 Ne vagi, mellite puer ; tibi Luscula ludit,
 10 gestit et ad cunas blanda catella tuas ;
 11 Curtiolus tibi subsultans en se erigit, en se
 12 jactitat, en teneri cruscule lambi heri.
 13 An lingis, lascive, genas ? Ah, curtule Curti,
 14 ipsa tibi irascar, curtule Curtiole.
 15 Tune genas, tune ora ? Meus puer, improbe Curti,
 16 Luciolus meus est, improbe Curtiole.
 17 Curtiole, anne audes ? Ah risit Lucius, ah se
 18 jecit in amplexus Lucius ipse meos.
 19 En pectus, formose, tuum ; mihi dulcia junge
 20 oscula, et in solito molle quiesce sinu.

NAENIA TERTIA BLANDITORIA ET IOCOSA. NUTRIX CANIT

C2_10 v.1 Has ego Luciole mammas, haec ubera servo :
 2 dextera mamma tua est, ipsa sinistra mea est.
 3 Singultit sed Luciolus ; mutare licebit :
 4 ipsa sinistra tua est, dextera mamma mea est.
 5 Utraque sed potius tua sit, jam desine flere,
 6 desine : dextera tua est mamma, sinistra tua est.
 7 Risit Luciolus mammamque utramque momordit.
 8 Tune meas mammas, crudule, tune meas... ?
 9 Jam saevit, quod dico meas. Ne, candide, saevi :
 10 haec atque illa tua est, utraque mamma tua est.
 11 Nunc, Luci, nunc sugere ambas, ne quis malus illas
 12 auferat, et clauso, scite, reconde sinu.

NAENIA QUARTA NUGATORIA. NUTRIX IOCATUR

C2_11 v.1 Ora quis, aut quis labra mihi linguamque momordit ?
 2 Lucius improbulus, Lucius ille malus.
 3 Quis collum mammasque meas pectusque momordit ?
 4 Lucius ille malus, Lucius improbulus.
 5 Ne posthac, ne tange, puer. Cui basia servo
 6 labraque ? Cui linguam hanc ? Antinoo, Antinoo ;
 7 cui pectus, mollemque sinum, tenerasque papillas,
 8 amplexusque meos ? Antinoo, Antinoo.
 9 Antinoe o formose, veni ; tibi brachia pando ;
 10 quamprimum in nostros, blande, recurre sinus ;
 11 en mammas, en lacteolas, formose, papillas,

12 en cape delicias tinnula plectra tuas.
 13 Sed quisnam nostra puer hic cervice pependit ?
 14 Mentior ? An certe est Lucius improbulus.
 15 Implicuit collo simul et simul oscula sumpsit
 16 improbulus non jam, sed probus ipse puer.

NAENIA QUINTA AD SOMNUM INDUCENDUM. MATER CANTICAT

C2_12 v.1 Scite puer, mellite puer, nate unice, dormi ;
 2 claude, tenelle, oculos, conde, tenelle, genas.
 3 Ipse sopor : "Non condis, ait, non claudis ocellos ? "
 4 En cubat ante tuos Luscula lassa pedes.
 5 Languidulos, bene habet, conditque et claudit ocellos
 6 Lucius, et roseo est fusus in ore sopor.
 7 Aura, veni, foveasque meum placidissima natum.
 8 An strepitant frondes ? Tam levis aura venit ;
 9 scite puer, mellite puer, nate unice, dormi ;
 10 aura fovet flatu, mater amata sinu.

NAENIA SEXTA NUGATORIA. MATER LUDIT

C2_13 v.1 Quis puer hic ? Age, Lisa, tuas absconde papillas ;
 2 hic puer en illas surripuisse parat.
 3 Lisa, tege, en tege, Lisa, tuas. Tune improbe, tune
 4 Lucioli mammas surripuisse paras ?
 5 Luciole, huc propera, propera nunc, candide Luci ;
 6 ille malus properat ; tu prior ante veni.
 7 Vicisti, atque hanc ore premas, hanc corripe dextra ;
 8 i, puer, hinc, alias, i, male, quaere alias.

NAENIA SEPTIMA NUGATORIA AD INDUCENDUM SOPOREM. MATER LOQUITUR

C2_14 v.1 Fuscula nox, Orcus quoque fuscus ; aspice, ut alis
 2 per noctem volitet fuscus ille nigris.
 3 Hic vigiles captat pueros vigilesque puellas.
 4 Nate, oculos cohibe, ne capiare vigil.
 5 Hic captat seu quas sensit vagire puellas,
 6 seu pueros. Voces comprime, nate, tuas.
 7 Ecce volat, nigraque caput caligine densat,
 8 et quaerit natum fuscus ille meum,
 9 ore fremit, dentemque ferus jam dente lacessit,
 10 ipse vorat querulos pervigilesque vorat,
 11 et niger est, nigrisque comis nigroque galero.
 12 Tu puerum clauso, Lisa, reconde sinu,
 13 Luciolum tege, Lisa. Ferox quos pandit hiatus,
 14 quasque aperit fauces, ut quatit usque caput.
 15 Me miseram, an ferulas gestat quoque ? Parce, quiescit
 16 Lucius, et sunt qui rus abiisse putent ;
 17 rura meus Lucillus habet, nil ipse molestus,
 18 nec vigilat noctu conqueriturve die.

19 Ne saevi, hirsutas manus tibi comprime, saeve ;
 20 et tacet, et dormit Lucius ipse meus,
 21 et matri blanditur, et oscula dulcia figit,
 22 bellaque cum bella verba sorore canit.

NAENIA OCTAVA. NUTRIX ARCESSITUR, MATER LOQUITUR

C2_15 v.1 Lisa, veni, exspectata veni, quid lenta moraris ?
 2 En age, quid cessas ? Nil remorata veni ;
 3 et sitit et vagit, tibi nunc convicia dicit
 4 Lucius, et caros quaeritat usque sinus.
 5 Jam properat Lisella, pedum vestigia sensi,
 6 ecce venit nudo Lisa parata sinu ;
 7 en tibi lacteolae, Luci formose, papillae,
 8 en tibi turgidulo plena mamilla sinu.
 9 Tota tibi tua Lisa vacat, tua Lisula tota est ;
 10 sume, venuste puer, ubera, carpe sinus,
 11 carpe sinus, formose, tuos, somnumque capesse :
 12 dicetur cunis naenia grata tuis.

NAENIA NONA IOCOSA AD BLANDIENDUM. NUTRIX CANIT

C2_16 v.1 Pallidus Eunomius puer est, Titiusque nigellus,
 2 vagit et hic noctes, vagit et ille dies ;
 3 Luciolo roseus color est candore refusus,
 4 nec vagit noctu, nec strepit ipse die.
 5 Despuit Eunomius mammas tunditque papillas ;
 6 oscula dat tumidis Lucius uberibus.
 7 Non Titium fabella juvat, non naenia Lippae ;
 8 naenia Luciolum verbaque ficta juvant.
 9 Ridet et in somnis et Lisae Lucius haeret,
 10 auferat et ne quis callidus ipse timet.

NAENIA DECIMA. MATER BLANDITUR CAPELLAE AC SOMNUM INVITAT

C2_17 v.1 Ne latra, ne pelle bonum, bona Luscula, somnum ;
 2 et tibi jam somnus, Luscula, gratus erit.
 3 Ingredere, o bone somne ; nihil bona Luscula latrat :
 4 Luscula Luciolo, Luscula blanda tibi est ;
 5 innuit ipsa oculis tibi Luscula, Lucius ipse
 6 innuit, et dicunt : "Somnule lenis, ades."
 7 Luscula jam dormit, stertit quoque bella catella,
 8 et sua Luciolo lumina fessa cadunt.
 9 Dormi, Luciole, Luci dilecte, quiesce ;
 10 en canit ad cunas garrula Lisa tibi.
 11 Mulcet languidos, saturat quoque somnus ocellos ;
 12 somnus alit venas, corpora somnus alit,
 13 et sedat curas requiemque laboribus affert,
 14 odit tristitiam, gaudia semper amat.
 15 Somne bone o cunctis, assis mihi, candide somne,
 16 somne bone et pueris, somne bone et senibus,

17 ipse mihi tumidas satura, bone somne, mamillas,
 18 ubera Luciolo quo mea plena fluant.
 19 Sentit Luciolo, dormitque et ridet et optat,
 20 et mammas digitis prensitat usque suis.
 21 Euge, puer, sitibunde puer, cape, lassule, somnos ;
 22 mox tibi jam vigili lacteus amnis erit.

NAENIA UNDECIMA. MATER NUGATUR

C2_18 v.1 Excitus e somno meus est puer ; huc age, Lisa,
 2 en age, delicias accipe, amata, tuas.
 3 Et sitit et ridet, dulcis et vertit ocellos
 4 ipse tibi ; vultus aspice, cara, tuos ;
 5 his pro blanditiis teneras da, Lisa, papillas
 6 Luciolo ; amplexus quos parat ipse tibi.
 7 An refugit mala Lisa ? Nihil mala Lisa veretur ?
 8 Carpe, puer, plenos, ubera laeta, sinus,
 9 suge ambas, summorde ambas, ne parce, papillas :
 10 ubera Luciolo stulta negare potest ?
 11 Scinde comas, contunde sinus, diffringe capillos :
 12 tune meas fugias, improba serva, manus ?
 13 Ah, simulant ambo. Simulate et perfide Luci,
 14 fallax Lisa novis insidiosa modis,
 15 ipsa tibi eripiam mammas, tibi, subdola, natum,
 16 subdola, quae fugias, perfide, qui renuas.

NAENIA DUODECIMA. PATER NATO BLANDITUR

C2_19 v.1 Pupe meus, pupille meus, complectere matrem,
 2 inque tuos propera, pupule care, sinus ;
 3 pupe bone, en cape, care, tuas, mi pupule, mammas,
 4 pupule belle meus, bellule pupe meus ;
 5 suge ; canam tibi naeniolum. Nae... Naenia nonne
 6 nota tibi, nate, est naenia naeniola ?
 7 Pupe meus, pupille meus, nae... Naenia nonne
 8 nota tibi, nate, est naenia naeniola ?
 9 Belle meus, mellite meus, nae... Naenia nonne
 10 nota tibi, nate, est naenia naeniola ?
 11 Somniculus tibi jam lassus obrepit ocellis,
 12 dum tibi, nate, placet naenia nota nimis.
 13 Pupe meus, dormisce meus ; nae... Naenia, nostro
 14 da noctem nato, naenia, somniferam.

LIBER III

VENERATUR PELIGNOS ET AGRUM SULMONENSEM

C3_01 v.1 Hine amnes, haecne Aoniis loca grata puellis,
 2 Pelignone haec sunt rura habitata seni ?
 3 Hosne lacus, haecne antra colit descriptor amorum ?
 4 Manibus haec sacra sunt, magne poeta, tuis ?
 5 En vati dilecta Dryas fert rustica dona,
 6 fert myrtum, ac violae lilia mixta nigrae,
 7 fert hederam, fert veris opes. Quin ecce Corinna :
 8 ipsa canit, voces fluminis aura refert :
 9 "Erramus per prata, nec est quod laedat amantes,
 10 et juveni juncta est usque puella suo ;
 11 pascimur amplexu tenero, fovet aura cubantis,
 12 pennarum admotu quam levis afflat Amor.
 13 Quod nemus, aut quaenam umbra meos nunc servat amores ?
 14 Huc ades in molli, Naso, fovende sinu."
 15 Ille refert : "O ante alias mihi cara puellas,
 16 ipsa veni ad nitidos, culta Corinna, lacus,
 17 qua strepitat leve murmur aquae, qua laurus in umbram
 18 se jacit, et densum texit opaca nemus,
 19 luxuriat qua mollis humus ; te plurima myrtus,
 20 te manet irriguis floridus hortus aquis.
 21 En assum tibi certus amans." Vix ille, repente
 22 virgo movet niveos ad loca nota pedes,
 23 ac, nudata sinum, cervici innexa pependit ;
 24 ora, oculos, pectus cordaque junxit amor,
 25 osculaque et junxit, suspiria et intima junxit,
 26 mixtus et ex uno spiritus ore coit ;
 27 incaluit tunc umbra novo succensa calore,
 28 mox gratum repetit altera et alter opus.
 29 Ludite, felicis umbrae, quibus una voluptas
 30 vivitur atque unus pectora jungit amor.
 31 Nunc, age, quae myrteta colis mihi consita, nymphe,
 32 quaeque tenes hortos, Antiniana, meos,
 33 pauca meae, nam pauca seni Cytherea ministrat,
 34 (ipsa leget conjux) tu modo pauca refer.
 35 Exstinctos in corde seni quis suscitatur ignes ?
 36 Quae nova sopitas nunc movet aura faces ?
 37 Incendi novus auctor an est ? Suspiria, conjux,
 38 hoc tua et accensi pectoris aura facit ;
 39 pectoris huc venit aura tui, vetus inde resurgit
 40 et reparat vires ignis ab igne novas ;
 41 jam saevit, jam flamma furit ; suspiria conjux
 42 movit, et a nostra mutua flamma viget ;
 43 urimur absentes unoque adulescimus igni,
 44 et vires uno fomite uterque capit.
 45 In somnis mihi nocte venis, succenditur ignis,
 46 vexat nocturnus pectora adusta calor ;
 47 ante oculos versare die, tum subdita venis
 48 spirat anhelantis flamma diurna faces :
 49 en volitant rutilantque vagae de corde favillae,
 50 et fax absumptis ossibus usta micat ;

51 jam serpit venis, imas jam flamma medullas
 52 corripit ac toto corpore lapsa furit.
 53 Quisquis ades, procul hinc, ne vos meus ustilet ignis :
 54 fervet et accensos huc agit hucque globos ;
 55 inque faces flammasque abeo, jam vertor in ignem,
 56 vertimur, en jam jam nil nisi flamma sumus.

AD UXOREM

C3_02 v.1 Natalem Domini sine me Janique calendas
 2 et sine me Regum tempora tristis agis,
 3 tristis et in templis ad publica munera perstas ;
 4 tristis et a templo cum petis ipsa domum,
 5 illic te absentis torquent monumenta mariti,
 6 ante tuos oculos quae tibi multa jacent,
 7 illic desertusque torus succurrit amanti,
 8 quaeque vacat viduo sponda relicta loco.
 9 Ingeminat tum corde dolor, crudescit et acre
 10 vulnus, et ipsa super lapsa dolore cadis :
 11 non soror et geminae longo molimine natae,
 12 vix revocat lacrimis qui tibi natus adest.
 13 Jam, conjux, jam parce novis, Ariadna, querelis ;
 14 non te nunc primum contigit iste dolor :
 15 a teneris eadem mira virtute tulisti,
 16 matronae et laudes ipsa puella refers.
 17 Difficile est tolerare, tamen laus omnis in hoc est,
 18 et labor assuetis mollior esse solet.
 19 O non sic aliis tua nota exempla puellis,
 20 servandique tori facta magistra fores,
 21 digna quidem amplexuque frui thalamoque mariti,
 22 gaudiaque assueto continuare toro.
 23 Virtutem sed dura probant : hinc fama pudicis,
 24 hinc meruit nomen Penelopea suum.
 25 In pretio sunt rara, nihil virtute sed ipsa
 26 rarius : haec superis nos facit esse pares.
 27 Jam, conjux, laetare ; nihil nam mente pudica
 28 rarius ; haec superos in sua vota trahit.
 29 Sed tibi nec monitore opus, officiumque maritae
 30 exigis et per te munera matris obis.
 31 Cum Domini natalis adest, laetare, tibi que
 32 si non vis, natis, optima, parce tuis :
 33 mane simul geminis comitata operare puellis,
 34 et tibi placatos justa precare deos ;
 35 sint nato, sint vota viro rata : ponat iniquum
 36 Mars odium et redeat pacis alumna quies.
 37 Di faciles ; tu justa petis ; jamque auguror ipsum
 38 annuere et capitis signa dedisse Jovem.
 39 Omine quo regressa larem fac splendeat aula
 40 munditiis, festos duc sine nube dies ;
 41 omnia sint tibi laeta domi, felicibus annus
 42 auspiciis peragat, quod bene cepit, iter.
 43 Cura sit et mensae, quae non aliena puellis,
 44 larga quidem, sed non luxuriosa tamen ;
 45 mensa suos habeat lusus, et saepe parentis,

46 saepe viri nomen anxia verba sonent ;
 47 sit cura et patrii ritus morisque vetusti,
 48 qui statuit posito regna beata mero.
 49 Quod felix faustumque, fabae sors regia cuja est ?
 50 Nate, tua : ardenti subdite ligna foco,
 51 stet myrto, stet rore maris lauroque comatus
 52 ipse focus ; calices et nova vina date.
 53 Funde, puer ; bonus annus eat, pax laeta sequatur.
 54 Eveniet : micuit sparsus in igne liquor.
 55 Funde iterum : ter flamma coma crepitante reluxit,
 56 ter saliit vivo laurus adusta foco :
 57 Pax aderit, jam signa domum redeuntia cerno ;
 58 i, puer, et veteri vincula deme cado.
 59 Quisquis ades, dic laeta ; dies hic nubila pellat,
 60 instauret positum sedula turba merum.
 61 Absenti mihi Chia date, date Cresia regi ;
 62 inde bibat dubio tota corona pede.
 63 Tu vero hunc mihi, cara, viro praestabis honorem,
 64 tingat ut auratus mollia labra calix,
 65 et memor ipsa mei dicas : "Haec oscula, conjux,
 66 illa tua, haec, conjux, te properare jubent."
 67 His addas etiam suspiria, teque subinde
 68 admoneant reditus tempora certa mei.

EPITHALAMIUM IN NUPTIIS AURELIAE FILIAE

C3_03 v.1 Huc ades, o Hymenaeae, nec est quod rura recuses :
 2 rura tuas primum festa tulere faces,
 3 rura novos tibi prima jocos statuere, tuoque
 4 lutea Puniceo vincla dedere pedi,
 5 cultaque sollemnem duxere ad compita pompam,
 6 omine cum fausto femina virque canunt.
 7 Hic primum laeto sonuit nova tibia cantu,
 8 movit et artifices compta puella pedes ;
 9 rure arcum sibi fecit Amor strinxitque sagittas,
 10 accenditque novas, rure parante, faces.
 11 Tum juvenis primos sensit malesanus amores,
 12 arsit ab insolita tacta puella face ;
 13 hinc junxere pares communi foedere dextras,
 14 affuit et tectis saepe vocatus Hymen.
 15 Flammea tum tibi prima deo sunt sumpta, decensque
 16 praeluxit digitis aurea gemma tuis,
 17 sedisti medius juveni mediusque puellae,
 18 deliciasque toro gaudiaque apta doces.
 19 Tum felix, praesente deo, torus esse jugalis
 20 legitimam et thalamus coepit habere fidem.
 21 Ergo ades, o Hymenaeae ; vocant te rura, tibique
 22 culta domus cultus et tibi ridet ager ;
 23 in foribus te culta manens Ariadna decentis
 24 et nectit flores et novaserta parat.
 25 Dum nectit flores, illi per candida fulgent
 26 ora rosae, Charites quas posuere genis,
 27 spirat et ex oculis nova gratia (flectere divos
 28 dum cupit, hac risum temperat ipsa Venus) ;

29 quin etiam canit : "Ad mensas, Hymenaeae, venito,
 30 te vocat ad thalamos nupta novella suos.
 31 Pulcher Hymen, Hymenaeae, Hymen, Hymenaeae, venito ;
 32 te chorus et cantus, te tua pompa manet.
 33 Pulcher Hymen, Hymenaeae, Hymen, Hymenaeae, venito ;
 34 tibia jam teneros fundit eburna modos,
 35 ocior ut venias, en rustica fistula cantat,
 36 teque vocat numeris Antiniana novis : "
 37 "Irriguis sic hortus aquis, sic prata salictis,
 38 sic gaudent pratis ipsa salicta suis,
 39 laetantur sic melle favi, sic robora glande,
 40 laetus ut ad thalamos carmina pangit Hymen,
 41 Pulcher Hymen, Hymenaeus, Hymen, cui filia vatis
 42 se colit, et thalamos nupta pudica parat ;
 43 qualis roscidulo florens hyacinthus in horto
 44 Puniceo primae certat honore rosae,
 45 hunc Dryades coluere, hunc et coluere Napaeae,
 46 Nais et assidua fessa rigavit aqua.
 47 Myrtus honos Veneris, myrto laetantur amantes :
 48 pendeat ad cultas myrtea virga fores ;
 49 Laurus honos Phoebi, praefert et laurus amores :
 50 ornent et festam laurea sarta domum.
 51 Vitibus est decori pendens sub fronde racemus,
 52 arboribus decori quae bene poma rubent :
 53 picta chlamys Phrygiaeque manu variata supellex
 54 est decori thalamo, purpureusque torus
 55 ipse rosa Syrioque decens perflatus amomo
 56 mille parat dominae gaudia, mille viro.
 57 Felix deliciis et felix lecte susurris,
 58 per te vir domina, nupta beata viro est.
 59 Pan jungit calamos : jungitque Hymenaeus amantes ;
 60 Pan amat : ad calamos dulce jocatur Hymen,
 61 Pulcher Hymen, Hymenaeus, Hymen, cui flammea curae
 62 et juvenum lusus et sine lite torus.
 63 Lite fugatur amor, concordia nectit amorem,
 64 concordes animos lectulus ipse facit ;
 65 hunc amor, hunc pax ipsa locum statuere quieti,
 66 hunc legit fidei vincula castus Hymen,
 67 castus Hymen, Hymenaeus, Hymen ; age, fistula, Hymenque
 68 dic et Hymen ; gaudet saepe iteratus Hymen.
 69 Ut flos, aestivo sitiens cum terra calore,
 70 nocturno refici lassus ab imbre cupit,
 71 non illum Zephyrique valent auraeque recentes
 72 mulcere aut densa nexilis umbra coma,
 73 sola illi est in rore salus, spes omnis in imbri,
 74 languet honos, cecidit languida sole coma ;
 75 sic tacitos in corde fovens nova nupta calores,
 76 optato refici conjugis ore petit,
 77 non illam patris amplexus, non oscula matris
 78 aut juvat artificii purpura picta manu ;
 79 suspirat tantum amplexus, tantum ora mariti,
 80 maeret, abestque illi qui fuit ante decor.
 81 Quam, raptam matrisque sinu colloque parentis,
 82 conjugis ad cari limina ducit Hymen,
 83 mitis Hymen, Hymenaeus, Hymen, cui mollia curae
 84 conjugia et parili vincula nexa jugo.

85 Ut flos in verno laetatus sole nitescit
 86 fulgidus, et gaudet purpura honore suo,
 87 mane tepor, sub solem aurae, ros noctis in umbra
 88 mulcet, et ipse suas jactat honestus opes ;
 89 in molli sic virgo toro complexa maritum
 90 nuda nitet, caro ludit amata sinu,
 91 mane sopor, sub sole viri suspiria mulcent,
 92 nocte iterata venus, saepe receptus hymen,
 93 dulcis Hymen, Hymenaeus, Hymen." Sed fulget Olympo
 94 Vesper ; pone tuos, fistula lassa, modos.
 95 Vesper adest, Hymenaeus adest ; consurgite mensis :
 96 Vesper amat cantus, carmine gaudet Hymen.
 97 Jam, juvenes, simul ad choreas, simul ite, puellae,
 98 en canite, et Phrygium carmina dicat ebur.
 99 Vesper adest, gaudete, viri, gaudete, puellae,
 100 seque paret socio nuptaque virque toro.
 101 Ad thalamos Hymenaeus adest, jace, virgo, pudorem ;
 102 et vir adest, et adest qui bene jungat Amor.
 103 Prima Venus teneris legem praescrpsit ocellis,
 104 quave palam fiat quave tegatur amor ;
 105 primus Hymen blandis statuit sua jura labellis,
 106 diceret ut juvenis : "Tu mihi, virgo, places."
 107 Ipsa viro Venus e caelo, Venus ipsa puellae :
 108 "Ludite, ait, florem carpite amoris," ait ;
 109 ipse et inexpertos jungens Hymenaeus amantes
 110 instituitque rudes, deliciasque docet.
 111 Sola Venus docuit, decepta ut matre puella
 112 clam cuperet juveni cauta coire suo ;
 113 solus Hymen jussit, patrio lare nata relicto
 114 iret ut ad juvenem, matre vetante, suum.
 115 Blanda Venus sine veste monet dormire puellas,
 116 gaudiaque instanti nulla negare viro ;
 117 blandus Hymen sine veste jubet dormire maritas,
 118 et cupidum ad lusus sollicitare virum.
 119 A Venere est quodcumque viro, quodcumque puellae
 120 inter delicias et bona dulce venit ;
 121 quod tenerum, quod dulce, joci quodcumque Hymenaeus
 122 condit, et ore duas claudit in uno animas.
 123 Sed numeros mutare licet : nam Vesper Olympo
 124 conditur, et somnos imperat alma Venus.
 125 Intravit thalamos felix Hymenaeus, et omen
 126 ipse dedit ; lecto virgoque virque cubant.
 127 Ducite felices concordi foedere noctes,
 128 dulciaque unanimi carpite poma manu ;
 129 ver flores, segetes aestas, autumnus et uvas,
 130 delicias thalamus tempus in omne dabit.
 131 Serpente in amplexu, certent pugnancia linguis
 132 oscula, blanditiis absit utrique modus ;
 133 sic hederarum serpunt, sic jungunt rostra columbae,
 134 murmuris et taciti ludit in ore sonus.
 135 Aetatis breve ver ; vos veris carpite florem ;
 136 hunc florem lusus deliciaeque decent.
 137 Ludite, deliciisque brevem complete juventam ;
 138 hoc agite, ut cupidos prole juvetis avos.
 139 Nascatur Paulo similis, qui reddat utrumque
 140 scitus avum ingenii dexteritate, puer :

141 nam patrium nec Pierides nec spreuit Apollo
 142 et Mars ipse sua fovit et auxit ope,
 143 maternum Musae Aonio fovere sub antro,
 144 protexit galea Mars quoque saepe sua.
 145 Nascatur quae nata tuos, Aurelia, mores
 146 et faciem referat femineumque decus ;
 147 namque tibi matrique tuae nil aequa Minerva,
 148 nil Charites sociae, nil negat ipse pudor.
 149 Hinc illinc generis series. Age, ruris alumnae,
 150 et nemorum dominae, silvicolaeque deae,
 151 mane novo nuptisque novis de flore recenti
 152serta date, et calathis spargite ruris opes ;
 153 ipsa favos et mella ferens et lactis honores
 154 dic Fesceninos, Antiniana, sales.

EPITHALAMIUM IN NUPTIIS EUGENIAE FILIAE

C3_04 v.1 Rura iterum te, Hymenaeae, vocant. Quid in urbe moraris ?
 2 Te lyra, te thiasi, te tua pompa manet ;
 3 en iterum laeta ad lusus et gaudia nota,
 4 en vocat ad teneros Antiniana sales ;
 5 en tibi formosae texunt novaserta puellae,
 6 et tibi non solita carmina voce canunt :
 7 "Te molles violae, te purpurei hyacinthi,
 8 te rosa et Assyrio sparsa liquore domus,
 9 nos te ad delicias cultae invitamus, et ipsi
 10 invitant thalami, compositusque torus.
 11 Quid cessas, Hymenaeae ? Tibi sua basia quaeque,
 12 amplexusque suos quaeque puella parat ;
 13 en tibi tractandas damus has sine labe papillas,
 14 sponsa quoque ipsa tibi nuda videnda venit,
 15 cui roseis diffusa genis nova purpura fulget
 16 ac niveum in reliquo corpore candet ebur.
 17 Talem Helenen sociae nudam videre puellae,
 18 cum lavat ad fontis, blanda Theranna, tuos ;
 19 talis et in viridi visa est requiescere prato
 20 nondum experta viri Laodamia torum.
 21 Ipsa quiescebat ; placidae circum ora Napaeae
 22 mulcebant somnos, flabra ciente manu ;
 23 haec digitos, illa est tenerum mirata labellum,
 24 fusus ut e niveo pectore candor eat,
 25 dumque alia extremum femori subducit amictum
 26 obstupuit raris conscia facta bonis.
 27 Nec properas, Hymenaeae ? Nec est quod rura revisas ?
 28 Nec praefert sanctas Antiniana faces ?
 29 Nec teneras tibi blanditias, nec carmina bella,
 30 ingeminat nec : Hymen o Hymenaeae, Hymen ?
 31 Mollis Hymen, Hymenaeae, Hymen, Hymenaeae, venito ;
 32 en propera ad lusus, o Hymenaeae, tuos.
 33 Libat apis tenerum rorem, fluit Atticus ille
 34 inde liquor, dulci cerea mella favo ;
 35 libat Hymen tenerum florem, inde et Acidalius ille
 36 it liquor, in tepido munera grata toro.
 37 En te septenae, felix Hymenaeae, puellae

38 invitant cupido munera ad ista sinu,
39 en tibi Acidalium spondent ad munera florem ;
40 ipse leges, ipsi diffluet ille liquor.
41 Illa, vides, ut blanda oculis utque innuit ore,
42 flammeolum ut gestit laeta videre tuum ?
43 Illa, vides, quos docta modos, quae carmina cantet,
44 offerat ut flores in tua dona suos ?
45 Haec tibi purpureum stringit lasciva labellum
46 atque ait : hunc rorem libo, Hymenaeae, tibi.
47 Haec choreis tete in mediis suspirat, et aegro
48 ventilat ipsa tuas corde, Hymenaeae, faces.
49 Haec tibi lacteolas, atque haec, atque illa papillas
50 nudat, et : has, inquit, nudo, Hymenaeae, tibi,
51 has et delicias, haec oscula prima novosque
52 amplexus servo gaudia et illa tibi.
53 Fauste, veni, formose, veni, tibi nupta parata est
54 quaeque sinu veneres spiret et ore charin,
55 ore charin veneresque sinu, ast, ubi eburnea lectum
56 intravit, spiret tum tibi veris honor,
57 stillet et ambrosiae decus immortale, tibique
58 et Charitum et Veneris dona beata fluant.
59 Euge, veni, bone dive, veni, bone sancte, venito :
60 euge, venit sanctus, divus et ipse venit.
61 Nunc, age, culta quidem divo sis obvia mater,
62 et sanctum amplexu suscipe blanda tuo ;
63 sparge rosam, daserta deo, dic et bona verba,
64 oreque cum fausto carmina fausta cane.
65 Tu quoque felicis jam nacta, Aurelia, taedas,
66 ad primos postis compta sororis ades ;
67 hic Genium accipies, Genio sua munera fundes,
68 quaeque Cypros mittit quaeque Sabaeus ager.
69 Casta quoque ad thalamos dux ipsa Hymenaeon amatos
70 duc castum, casto qua cubat ore soror.
71 Flammeolum ut Genio nitet atque ut coccina vestis,
72 ut decet in molli socculus ipse pede,
73 quam gemma in digitis, ut sertum in fronte virescit,
74 ridet ut ipsa domus, tecta ineunte deo.
75 Plaudamus Genio, sociae, Geniumque salutet
76 cuncta domus, Genio plaudat et omnis ager ;
77 dicite io, domus omnis io, ager omnis et aer
78 dicat io, resonet longe Hymenaeus io,
79 faustus Hymen, formosus Hymen, felix Hymenaeus
80 laeta canant, felix et sine lite torus :
81 felici cum prole genus carumque nepotem
82 reddat avo, reddat pignora cara patri
83 Eugenia, et faciles ducat cum conjugee taedas,
84 quique amor est juvenum, sit quoque et ipse senum.
85 Nunc, age, felicis cultor non segnis agelli,
86 cui sonat appposito fistula blanda sono,
87 dic aliquid geniale deo, dic et bona nuptae ;
88 nupta sono gaudet, carmine gaudet Hymen."
89 "Ipse diem solem ad rapidum cum torreo aestu,
90 uxor adest gelidas et mihi portat aquas ;
91 mox densas simul ad salices secedit uterque,
92 mecum Amor, at lateri conjugis haeret Hymen ;
93 hic nos jungit Amor, lusus Hymenaeus Amori

94 monstrat, et ad partes hic venit hicque suas.
 95 Nocte quidem tenue ad lumen dum vellera pecto,
 96 torpet et hiberno frigore fessa manus,
 97 hanc uxor refovetque sinu reficitque papillis ;
 98 somnus adest, lateri conjugis haeret Hymen ;
 99 Hic nos jungit Hymen, lassos mox repit in artus
 100 somnus, init placidus pectora anhela sopor.
 101 Muneris hoc, Hymenaeae, tui est. Age, fistula, blandum
 102 dic aliquid, quod rus quodque Hymenaeus amet.
 103 Educit teneros foetus, fovet anxia nidum
 104 mitis avis, fesso comparat ore cibum ;
 105 ast illi, ut tenues plumae increvere, relinquunt
 106 et nidum et matris dulcia rostra suae :
 107 ipsa suo natam in gremio fovet anxia mater,
 108 educitque sinu sedulaque usque colit ;
 109 ast illa ut viditque virum sensitque hymenaeum,
 110 linquit laeta domum matris et ora suae.
 111 Munus et hoc Hymenaeae tuum est : tibi luce puella
 112 comitur et formae sedula quaerit opem,
 113 nocte autem parat illecebras, parat oscula, dulcemque
 114 amplexum et lusus deliciasque parat.
 115 Ut tener aprico crescens hyacinthus in horto
 116 ipse manu colitur, ipse rigatur aqua,
 117 illum aurae tepidique fovent sub sole calores
 118 guttaque, nocturno quae vaga rore cadit ;
 119 at postquam culto nituit spectatus agello,
 120 ipse tener domini carpitur ungue sui ;
 121 sic tenera in molli crescit quae nata cubili
 122 ipsa sinu matris, ipsa fovetur ope ;
 123 hanc et munditiae thalami comptusque decentes,
 124 hanc juvat artificii purpura texta manu ;
 125 sed postquam incaluitque toro cupiitque hymenaeos,
 126 hanc vir ab injecta vendicat ipse manu,
 127 asserit et sibi jure suam atque Hymenaeon ad aram
 128 clamat : io munus hoc, Hymenaeae, tuum est,
 129 munus et hoc, Hymenaeae, tuum est. Age, candida, carmen
 130 nunc itera atque sales, Antiniana, tuos ;
 131 te domini, te cura et agri studiumque puellae,
 132 te moveant thalami jura et amicus Hymen."
 133 "Ne saevi, generose ; tua est sine lite puella,
 134 illa tibi placido est tota fovenda sinu ;
 135 neve nega, formosa, viro, quod dulce rogarit,
 136 ipse quidem dulci dulcia mente petet.
 137 Sit pax, sed sine lite tamen sint murmura ; uterque
 138 pacem amet et pacis murmura uterque sonet.
 139 Ne pugna, mihi care ; nihil pugnare necesse est,
 140 concedet blandis victa puella jocis ;
 141 neve viro, mihi cara, tuo vestita repugna,
 142 vestis obest rixae, rixa terenda joco est.
 143 Ludite ; sed medio in lusu pax saeviat, ut pax
 144 rixa sit, ut rixae pax eat ipsa comes.
 145 Jam ludunt, geminata sonant jam murmura ; postes
 146 claudite ; adesto tuis, sancte Hymenaeae, focis.
 147 Vos, nuptae, quibus est conjux suus, ite, parate
 148 gaudia vestra viris et sua dona toris.
 149 Vos quoque, virgineus chorus innuptaeque puellae,

150 omnia felici dicite fausta die,
151 atque animo optatas jam jam praesumite taedas ;
152 namque sua et vobis gaudia servat Hymen."